

exegimus, maxime vero Veronensem unum majusculis descriptum litteris et supra quam dici possit antiquum atque emendatum: tum qui ejus vetustati proxime accedit. Cisterciensem alium, sive S. Crucis in Jerusalem de Urbe, denique Casanatensem sequioris quidem ætatis, sed probæ notæ.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

ADVERSUS JOVINIANUM

LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

227 1. *Epicurus Christianorum. Vitia sermonis Joviniani.* — Pauci admodum dies sunt, quod sancti ex urbe Roma¹ fratres cujusdam mihi Joviniani Commentariolos transmiserunt, rogantes, ut eorum ineptiis responderem, et Epicurum Christianorum, evangelico atque apostolico vigore contererem. Quos cum legissem, et omnino non intelligerem, cæpi revolvere crebrius, et non verba modo atque sententias, sed singulas pene syllabas discutere, volens prius scire quid diceret, et sic vel probare, vel redarguere, quod dixisset. Verum scriptorum tanta barbaries² est, et tantis vitiis spurcissimus sermo confusus, ut nec quid loquatus, nec quibus argumentis velit probare quod loquitur, potuerim intelligere. Totus enim tumet, totus jacet: attollit se per singula, et quasi debilitatus coluber, in ipso conatu frangitur. Non est contentus nostro, id est, humano more loqui, alius quiddam agreditur.

228 Parturiant montes, nascetur ridiculus mus.
Horat. de Arte Poet.)
Quod ipse,
Non sani esse hminis, non sanus juret Orestes.
(Pers., sat. 4.)

Præterea sic involvit omnia et quibusdam inextricabilibus nodis universa pertubat, ut illud Plautinarum litterarum ei possit aptari:

Has quidem præter Sibyllam leget nemo.
(In Pseudolo.)

Nam divinandum est. Furiosas Appollinis vates le-

¹ Illud Roma nomen nec præstantissimus Veronensis, nec Casanatensis Bibliothecæ satis elegans mss. agnoscunt.

² Eandem styli barbariem in Joviniani scripto notare videtur Syricius, Epistola ad diversos episcopos, ubi scripturam ejus horrificam appellat, non tantum propter blasphemias, quantum ob sermonis vitia.

³ Ephesium intellige, qui ab omnibus obscuritatis arguitur. Ejus βιβλία σκοτεινά dicit Theo in Pro-gymnasm. et Demetrius de Elocutione, aliique, a quibus illud σκοτεινόν pro cognomento mutatur Hieronymus. Vide infra Apologiam contra Rufinum, lib. 1.

gimus: et illud Virgilianum: *Dat sine mente sonum* (*Aeneid.* lib. x) Heraclitum quoque³ cognomento σκοτεινόν, sudantes philosophi vix intelligunt. Sed quid ad nostrum ἀνεγγραμμένα, cujus libros multo difficilius est nosse, quam xincere? Quanquam et in victoria non parva sit difficultas. Quis enim superare queat, cujus assertionem penitus ignoret? Et ne lectorem longius traham, cujusmodi eloquentiæ sit, et quibus verborum floribus ornatus incedat, secundi libri ejus (*al. sui*) monstrabit exordium, quod hesternam crapulam ructans, ita evomit⁴:

229 2. Satisfacio⁵ invitatis, non ut clare curram nomine, sed a rumore purgatus vivam vano. Obsecro agrum, novella plantationum⁶, arbusta teneritudinis, erepta de vitiorum gurgitibus, audientiam communitam agminibus. Scimus Ecclesiam, spe, fide, charitate, inaccessibleem, inexpugnabilem. Non est in ea immaturus, omnis docibilis: impetu irrumperere, vel arte eludere potest nullus⁷.

3. *Encratarum princeps Tatianus, Virginitas fructus nuptiarum. Numerus 30, 60, 100, quid significat in Evangelio. Hæreses Joviniani.* — Rogo, quæ sunt hæc portenta verborum? quod descriptionis dedecus? Nonne vel febrem somniare eum putas, vel arreptum morbo phrenetico, Hippocratis vinculis alligandum? Quotiescunque eum legero, ubi me de fecerit spiritus, ibi est distinctio. Totum incipit, totum pendet ex altero: nescias quid cui cohæreat; et

⁴ In Casanatensi ms. post *evomit* vocem, *Incipit disputatio Joviniani*, tum, *Satisfacio invitatis*, etc.

⁵ *Satisfacio invitatis*. Editi ante nos libri legunt, *Satisfacio invitatis*. Sed octo mss. codices (id est Corbeiensis 1, Sagermanensis 1, Regius 1, Colbertinus. 1, Carnutenses 3, Sancti Ebrulphi Uticensis 1) retinent quod reddidimus. Sicut et infra *novella*, non *novellas*; et *eludere*, non *illudere*. MARTIAN.

⁶ Vetus editio, *novellæ plantationum*, duoque e nostris mss. *ereptam* pro *erepta*.

⁷ Laudatus Casanatensis subdit in medio: *Finit disputatio Joviniani*.

exceptis testimoniis Scripturarum, quæ illo venustissimo eloquentiæ suæ flore mutare non ausus est, reliquus sermo omni materiæ convenit, quia nulli eo venit. Quæ res mihi aliquam suspicionem intelligentiæ dedit, velle eum ita nuptias prædicare, ut virginitati detrahat. Quando enim minora majoribus cœquantur, inferioris comparatio, superioris injuria est. Neque vero nos Marcionis et Manichæi dogma sectantes, nuptiis detrahimus; nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus; qui non solum nuptias sed cibos quoque quos Deus creavit ad utendum, damnat et reprobat. Scimus in domo magna, non solum vasa esse aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. Et super fundamentum Christi, quod Paulus architectus posuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos: alios e contrario fennum, ligna, stipulam. Non ignoramus. *Honorabiles nuptias, et torum* ¹ *immaculatum* (Hebr. XIII, 4). Legimus primam Dei sententiam, **240** *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (Gen. I, 28); sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? Aut arboris et segetis contumelia est, si radici et foliis, culmo et aristas, poma præferantur et fructus? Ut poma ex arbore, frumentum e stipula, ita virginitas e nuptiis. Centesimus et sexagesimus et tricesimus fructus quanquam de una terra, et de una semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias. Nam et ipsa digitorum conjunctio ². quasi molli se complexans osculo, et fœderans, maritum pingit et conjugem. Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia et tribulatione sunt positæ. Unde et superiori digito deprimuntur; quantoque major est ³ difficultas

¹ S. Crucis in Jerusalem de Urbe et Veronensis mss. *cubile immaculatum*. Hebr. XIII, 4.

² Explicat veterum morem per digitos numerandi, de quo nonnulla apud antiquos testimonia invenire est: expressius tamen ratio tota proditur a Venerabili Beda, et omnium exactissime a Græco scriptore Nicolao Smyrneo, cujus fere ignotum opusculum editum est a Possino. Bedæ loca sunt: « Cum triginta potare volueris, unguis indicis et pollicis blando conjunges amplexu. Cum dicis sexaginta, pollicem curvatum, iudice circumflexo, diligenter a fronte præcinges. » Vide etiam Apuleium in *Apolog.* orat. 2. Quod porro ait Hieronymus, *centesimum numerum de sinistra transferri ad dexteram*, notum ex Cassiani testimonio, collat. 24, c. 26: « Centenarius numerus de sinistra transfertur in dexteram; et licet eandem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis magnitudine supercrescit. » Juvenalis quoque *Satir.* 19-versu 246, de rege Pylio:

.....Felix nimirum qui per tot sæcula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos.

Vide Nicarchi veteris poetæ in *anthologia* lib. II, c. 9. epigramma. Quin etiam nostrum Hieronymum epistola 123, ad Ageruchiam, ubi, *tricenarius fœdera nuptiarum ipsa digitorum conjunctione testatur*. Obiter vero notandus Victorius est, qui aliam ab Apuleio iniri gestus rationem putat in tricesimo

A expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere tanto majus est præmium. Porro centesimus numerus (diligenter, quæso, lector, attende) de sinistra transfertur ad dexteram, et iisdem quidem digitis sed non eum manu, quibus in læva nuptiæ signifi- cantur et viduæ, circulum faciens, exprimit virginitatis coronam. Hæc de impatientia magis quæ juxta ordinem disputationis dixerim. Cum enim adhuc vix ⁴ de portu egrediar, et rudentibus vestustollam, in medium me quætionum pelagi subitus loquendi æstus abripuit. Unde cohibe- cursum, et paulisper sinus contraham; nec indigebo mucroni, jam nunc pro virginitate ferire pienti. Ballista quanto plus retrahitur, tanto fortius mittit. Non est damnum dilatio, ubi certior sit dilatione victoria. Proponam breviter adversus sententias, et de tenebris libris ⁵ ejus quasi foveis serpentes protraham, neque sinam venesum caput, spiris maculosi corporis. **241** Patet quod noxium est, ut possit conteri, cum potius
« Dicit, virgines, viduas, et maritatas, quæ mel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cælo operibus, ejusdem esse meriti.

« Nititur approbare eos, qui plena fide in baptismate renati sunt, a diabolo non posse subverti.

« Tertium proponit, inter abstinentiam ciborum et cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam esse distantiam.

« Quartum quod et extremum, esse omnibus qui suum baptismum servaverint, unam in re cælorum remunerationem. »

C ⁴ *Artes diaboli. Virtus apud Ethnicos præsertim voluptati.* — Hæc sunt sibila serpentis antiqui consiliis draco de paradiso hominem expulit. et eaturitatem jejuniis præferendo, repromissis immortales futuros, quasi nunquam possent

numero, ubi indicem et pollicem aperiendos id est molliter eorum summitates lambendas

³ In Epistola ad Pammachium, *quia quanto est, etc.*

⁴ Voculam *vix* Veronensis et S. Crucis mss. habent.

⁵ Reposuimus *libris* ex Casanatensis, aliisque mss. et veteri editione. Alludit nempe *σχοτεινὰ*, ut de Heraclito dictum est supra. mendose erat *latebris*.

D ⁶ De more Casanatensis præponit *Disputatio Joviniani*, tum propositiones ipsas Romanis notis distinguit, tandemque in fine per *munerationem, Finit disputatio Joviniani.* Quæ autem epistola S. Ambrosii ad Syricum duas, primam videlicet et postremam. Jovinianus propositiones exagitat, nimirum, « Nullam tamen gratiam, nullum castitatis ordinem reprobis promiscua omnia velle confundere, divi gradus abrogare meritorum, et paupertatem cælestium remunerationem inducere. » sum vero alium Joviniano errorem de soluti integritate in par. II, n. 4. exprobrat, quod *diceret Christum ex virgine non potuisse nasci.* Quam blasphemiam, tametsi a Hieronymo premitur, hæretico illi tamen etiam ab Ambrosio diserte attribuitur libro *contra Hæreses* hæreticæ contra Julianum sæpe, atque alibi.

ruere; et dum divinitatem æqualem Deo pollicetur, expulit eos de paradiso, ut qui nudi et expediti, et absque ulla macula virgines, Domini consortio fruebantur, dejecti in vallem lacrymarum, tunicis consutis et pelliceis vestirentur. Sed ne lectorem diutius morer, sequar vestigia¹ partitionis expositæ, et adversus singulas propositiones ejus, Scripturarum vel maxime nitar testimoniis: ne querulus garrus, se eloquentia magis quam veritate superatum. Quod si explevero, et illum utriusque instrumenti nube oppressero, assumam exempla sæcularis quoque litteraturæ, ad quam et ipse provocat. Doceboque etiam inter philosophos et egregios in republica viros, virtutes voluptatibus, id est, Pythagoram, Platonem et Aristidem, Aristippo, Epicuro et Alcibiadi ab omnibus solere præferri. Vos, quæso, utriusque sexus virgines et continentes, mariti quoque et digami, ut conatus meos orationibus adjuvetis Cunctorum in commune Jovinianus hostis est. Nam qui æqualia omnium asserit merita, tam virginitati facit injuriam, dum eam nuptiis comparat, quam et nuptiis, sic eas licitas asserens, ut secunda et tertia matrimonia. Sed et digamis et trigamis adversarius est, ibi ponens scortatores quondam et libidinosissimos post pœnitentiam, ubi duplicata et triplicata matrimonia: nisi quod in eo digami et trigami dolere non debent, quia idem scortator et pœnitens in regno cœlorum etiam virginibus adæquatur. Proponam igitur manifestioribus verbis et habentibus aliquam consequentiam, argumenta ejus et exempla de nuptiis, eodemque ordine omnia, quo ab eo dicta sunt, digeram. Nec molestum lectori sit, si nauseam ejus et vomitum legere compellatur. Libentius antidotum Christi bibet, cum diaboli venena præcesserint. Audite patienter, virgines; audite, quæso voluptuosissimum concionatorem, imo quasi sirenatum cantus et fabulas clausa aure transito. Vestras ferte paulisper injurias; putate vos cum Christo crucifixas, Pharisæorum audire blasphemias².

5. Jovinianus. Liber Deuteronomii sub Josia reperi- tus in templo. — Primo, inquit, Dei sententia est, Propter quod dimittet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una (Gen. II, 24, et Matth. XIX, 5). Ac ne forte dicemus hoc scriptum in veteri Testamento, asserit a Domino quoque idipsum in Evangelio confirmari. Quod Deus conjunxit, homo non separet: statimque subnectit, Crescite et multiplicamini, et replete terram (Gen. I, 28); et per ordinem replicat, Seth,

A Enos, Cainam, Malalæel, Jared, Enoch, Mathusalem³, Lamech, Noe, omnes habuisse uxores, et ex Dei sententia filios procreasse (quasi generationis ordo et historia conditionis humanæ, sine conjugibus et liberis potuerit enarrari): « Iste, inquit, est Enoch, qui ambulavit cum Deo, et raptus in cœlum est. Iste Noe, qui, cum essent utique multi virgines propter ætatem, solus cum filiis et uxoribus naufrago orbe servatus est. Rursus post diluvium, quasi altero principio generis humani, vivorum et uxorum paria junguntur et ex integro generationis instauratur benedictio: Crescite, et multiplicamini, et replete terram (Gen. VIII, 17, et IX, 1). » Insuper etiam comedendarum carniū licentia relaxatur: Et omne quod movetur, erit vobis in escam; sicut olera herbarum dedi vobis universa (Ibid. 9). Currit ad Abraham, Isaac, et Jacob, et quibus prior trigamus, secundus monogamus, tertius quatuor uxorum est: Liæ, Rachel, Balæ, et Zelphæ; et asserit Abraham ob fidei meritum, benedictionem in generatione filii accepisse. Saram in typum Ecclesiæ, cui defecerant muliebria, maledictionem sterilitatis, partus benedictione mutasse. Quod Rebecca ierit quasi prophetes interrogare Dominum, et audierit ab eo, Dux gentes et duæ populi in utero tuo sunt (Gen. XXV, 23). Quod Jacob pro uxore servierit: et existimante Rachel, viri esse dare liberos, ac dicente: Da mihi filios: sin autem moriar (Gen. XXX, 1); responderit: Numquid pro Deo ego sum, qui te conclusit (Ibid. 2)? In tantum, inquit, sciebat fructus nuptiarum Domini esse, non mariti. Quod Joseph vir sanctus atque castissimus, et omnes patriarchæ uxores habuerint, quibus æqualiter per Moysen benedicat Deus. Judam quoque proponii, et Thamar: et occisum Onam perstringit a Domino, quia fratri invidens semen, nuptiarum opera⁴ perdebat. Moysen proponit, et Mariæ lepram, quæ⁵ fratri pro uxore detrahens, illico Dei ultione percussa est. Laudat Samson, et uxorium Nazaræum miris affert præconiis. Deborah quoque replicat et Barach, quod absque virginitatis bonis Sisaram et Jabim et currus ferreos debellarint. Jahel uxorem Haber Cynei adducii in medium, et palo armatam prædicat manum. Inter Jephthæ patrem et filiam virginem, quæ immolata sit Domino, dicit nullam fuisse distantiam; quin potius fidem patris præfert ei, quæ cæsa sit lugens. Venit ad Samuel alterum Nazaræum Domini, qui ab infantia nutritus in tabernaculo est, et vestitus EPHOD BAD, quod interpretatur, vestibus lineis: di-

¹ Casanatensis liber, vestigia propositionis exposita

² Rursum Casanatensis liber præponit epigrammā Dipulatio Joviniani,

³ Gravius mallet Matusale.

⁴ Alias erat. nec bene, semen nuptiarum dedita opera perdebat, Antiqui libri Annam pro Onam frequentius efferunt. Recte Veronensis Annam ex Græco Ἀννῶν et infra Chaber pro Haber. — Quia fratri invidens semen. In codice ms. Sangermanensi legimus: Quia fratri invidens, sanctorum nuptia-

rum opera perdebat. In uno Celbertinæ Bibliothecæ, semen nuptiarum in terra fundebat. Alii codices legunt ut nos edidimus: nostram vero genuinam esse lectionem probari potest ex contextu LXX Interpretum, Gen. XXXVIII: Sciens autem Annam, quia non sibi erat semen... effudit super terram, ut non daret semen fratri suo. Invidebat igitur semen fratri, et ideo nuptiarum opera perdebat. MARTIAN.

⁵ Sic corrigit Vallars.: Martian v, 10 habet quia EDIT.

citque eum filios procreasse, nec sacerdotalem pudicitiam uxoris imminutam esse complexu. Booz cum sua Ruth¹ in area collocat, et Jesse, ac David 244 inde producit. Ipsum quoque David ducentis præputiis², etiam cum vitæ periculo³. regis filiæ quæsisse concubitus. Quid dicam de Salomone, quem poneus in catalogo maritorum, imaginem asserit Salvatoris? et de illo vult esse scriptum: *Deus iudicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Et, Dabitur ei de auro Arabiæ, et orabunt pro eo semper.* Ac repente transcendit ad Eliam et Eliseum, et narrat quasi grande mysterium, quod requieverit spiritus Eliæ in Elisæo: et cur hoc dixerit, tacet: nisi forte Eliam quoque et Elisæum habuisse arbitretur uxores. Transit ad Ezechiam et cum in ejus laudibus immoretur, miror cur oblitus sit dicere: *Amodo filios faciam (Isa. xxxvii, sec. LXX).* Josiam virum justissimum, sub quo in Templo Deuteronomii liber repertus est, ab Holda uxore Sellum instructum refert. Daniel quoque, et tres pucros inter maritos ponit [*Al. numerat*]. Et ad Evangelium repente transcendens, Zachariam, et Elisabeth, Petrum ponit, et socrum ejus, cæterosque apostolos. Et consequenter infert dicens: « Si autem voluerint assumere vanam defensionem⁴, et obtendere, quod rudismundus eguerit incremento, audiant Paulum loquentem: *Adolescentiores viduas volo nubere, filios procreare*⁵ (I Tim. v, 14). Et. *Honorabiles nuptiæ, et cubile immaculatum (Hebr. xiii, 4).* Et, *Mulier alligata est viro, quandiu vivit vir ejus. Si autem mortuus fuerit, nubat cui vult, tantum in Domino (I Cor. vii, 39).* Et, *Adam non est seductus: mulier autem seducta, facta est in prævaricationem. Salva autem fiet per filiorum generationem si permanserit in fide et dilectione. et sanctificatione cum sobrietate (I Tim. ii, 14).* Certe cessat hic illud apostolicum, *Et qui habent uxores, sic sint quasi non habeant*; nisi forte dicetis, propterea vult eas nubere, quia jam quædam conversæ sunt retro post Satanam: quasi ex virginibus nulla cadat, et non sit earum major ruina. Ex quo manifestum est vos Manichæorum dogma sectari, prohibentium nubere, et vesci cibis, quos Deus creavit ad utendum, cauteriatam⁶ habentium conscientiam. » Et post 245 multa, quæ nunc otiosum est revolvere, excutit se quasi in locum

¹ In aliis libris cum serva Ruth.

² Ducentis præputiis. Falso in editis Erasm. et Marian. legimus centum præputiis, cum fuerint ducentorum virorum præputia annumerata. MARTIAN.

³ In tribus nostris mss. etiam cum periculo, absque vitæ.

⁴ Cisterciensis sive S. Crucis ms., assumere unam defensionem.

⁵ Verba filios procreare in nullo e nostris codicibus habentur, quemadmodum et duo alia vir ejus.

⁶ Perdita nempè ac depravatam. Sumpta sententia ex Epist. I ad Tim. iv, 4, ubi ad servos alluditur qui noxæ convicti candenti ferro inurebantur. Unde κεκαυτηριασμένον transfertur ad nefarium quempiam significandum. S. Irenæus, lib. 1, c. 9,

A rhetoricum, et facit apostropham ad virginem, dicens: « Non tibi facio, virgo, injuriam: elegisti pudicitiam propter præsentem necessitatem: placuit tibi, ut sis sancta corpore et spiritu: ne superbias: ejusdem Ecclesiæ membrum es, cujus et nuptæ sunt⁷. »

6. Hieronymus. — Nimius fortasse fuerim in expositione propositionum ejus, et legendi fastidium fecerim; sed utile ratus sum cuncta molimina ejus, quasi instructam aciem contra me ponere, et totum hostilem exercitum cum suis turmis ac ducibus congregare, ne post primam victoriam, alia mihi deinceps prælia nascerentur. Igitur non dimicabo contra singulos, nec paucorum ero passim⁸ congressione contentus: toto certandum est agmine, et incompositi hostium cunei, ac latrocinii more pugnantes, instructa et ordinata acie repellendi. Opponam in prima fronte apostolum Paulum, et quasi fortissimum ducem, suis telis, id est, suis armabo sententiis. Sciscitantibus enim super hac quæstione Corinthiis, plenissime respondit doctor gentium, et magister Ecclesiæ. Quidquid autem statuerit, hoc Christi in eo loquentis, legem putemus. Simulque ne lectoris tacita cogitatio cum cœperimus singula, quæ proposita sunt, diluere, semper ad Apostolum se reservet, et studio validissimarum quæstionum, priora negligens⁹ ad extrema festinet.

7. Nihil homo contrarium, nisi malum. Exterior homo corruptus. — Inter cætera Corinthii per litteras quæsierant, utrum post fidem Christi cælibes esse deberent, et continentiæ causa quas habebant uxores dimittere, an si virgines credidissent, inirent [*Al. inire*] matrimonia? Et cum e duobus ethnicis, unus credidisset in Christum, utrumnam credens reliqueret non credentem? Et si essent, ducendæ uxores, Christianas tantum accipi juberet, an et ethnicas? Videamus igitur quid ad hæc Paulus rescripserit: *De his autem quæ scripsistis mihi bonum est homini mulierem non tangere. Propter¹⁰ fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum 246 reddat, similiter et uxor viro. Uxor proprii corporis non habet potestatem, sed vir. Similiter et vir corporis sui non habet potestatem, sed uxor. Nolite fraudare invicem, nisi forte ad tempus*

D

feminas a Marcosianis deceptas, ἀτινες, inquit, κεκαυτηριασμένοι τὴν συνελθῆσιν. Cauteriatas conscientias habentes. Paulo post pro otiosum quidam mss. odiosum habent.

⁷ Subdit Casanatensis de more: *Finis disputatio Joviniani.*

⁸ Mallet Gravius passiva congressione, pro passim, etc.

⁹ Casanatensis priora non legens, ad extrema, etc.

¹⁰ Mss., plurium numero propter fornicationes. Græc., τὰς πορνείας. Sicque infra. *Mox, vir corporis sui, absque vocula proprii: insuper et verbum revertimini non agnoscunt hic, atque infra. Denique Ego autem dico, pro, Hoc autem, etc.*

ex consensu, ut vacetis orationi. Et iterum ad id ipsum revertimini, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico juxta indulgentiam, non juxta imperium. Volo autem omnes homines esse ut me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Dico autem innuptis et viduis, bonum est eis, si sic permanserint ut ego. Si autem se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri (I Cor. VII, I seqq.). Revertamur ad caput testimonii: Bonum est, inquit, homini mulierem non tangere. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere: nihil enim bono contrarium est nisi malum. Si autem malum est, et ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat. Quale autem illud bonum est, quod conditione deterioris conceditur? Nunquam enim subieisset, unusquisque uxorem suam habeat, nisi præmisisset, propter fornicationem autem. Tolle fornicationem, et non dicet, unusquisque uxorem suam habeat. Velut si quis definiat: Bonum est triticeo pane vesci, et edere purissimam simulam. Tamen ne quis compulsus fame comedat stercus bubulum, concedo ei, ut vescatur et hordeo. Num idcirco frumentum non habebit puritatem suam, si fimo hordeum præferatur? Bonum est illud naturaliter, quod comparationem non habet mali, quod prælatione alterius non obumbratur. Simulque animadvertenda est Apostoli prudentia. Non dixit, bonum est uxorem non habere: sed, bonum est mulierem non tangere: quasi et in tactu periculum sit: quasi qui illam tetigerit, non evadat, quæ virorum pretiosas animas rapit¹, quæ facit adolescentium evolare corda: Alligabit quis in sinu ignem, et non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, et non ardebit (Prov. vi. 27, 28)? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus et femine sentit naturam suam, et diversitatem sexus intelligit. Narrant et gentilium fabulæ² Mithram et Erichthonium, vel in lapide³, vel in terra, de solo æstu libidinis esse generatos. Unde et noster Joseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, et quasi ad morsum rabidissimæ

A canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat, abjecit. Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Non dixit, propter fornicationem unusquisque ducat uxorem; alioquin hac excusatione libidini fræna laxasset, ut quotiescunque uxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur; sed, uxorem suam habeat. Suam, inquit, habeat, sua utatur, quam habebat antequam crederet, quam bonum erat non tangere⁴, et post fidem Christi sororem tantum nosse, non conjugem, nisi fornicatio tactum ejus excusabilem faceret. Uxor proprii corporis non habet potestatem, sed vir. Similiter et vir sui corporis non habet potestatem, sed uxor. Omnis hæc quæstio de his qui in matrimonio sunt⁵, an eis liceat uxores dimittere, quod et Dominus in Evangelio prohibuit. Unde et Apostolus, Bonum est homini, ait, uxorem non tangere⁶. Sed quia qui semel duxit uxorem, nisi ex consensu, se non valet abstinere, nec dare repudium non peccanti, reddat conjugi debitum: sponte quippe se alligavit, ut reddere cogeretur. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipere⁷ non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo⁸ continentis. Jubet idem apostolus in alio loco (I Thess. v), ut semper oremus. Si semper orandum est, nunquam ergo conjugio serviendum, quoniam quotiescunque uxori debitum reddo, orare non possum. Petrus apostolus experimentum habens conjugalium vinculorum, vide quomodo informet Ecclesiam, quid doceat Christianos: Similiter viri cohabitantes juxta scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri tribuentes⁹ honorem, et sicut cohæredes multiplicis gratiæ, ut non impediantur orationes vestræ (I Petr. III, 7). Ecce eodem sensu, quia eodem et spiritu, impediri dicit orationes officio conjugali. Quod autem ait, similiter, idcirco ad imitationem provocat viros, quia jam supra uxoribus præceperat, dicens: Ut videant viri in timore castam vestram conversationem, quarum sit non exle-

¹ Codices nostri omnes, et vetus quoque editio capit, juxta Græcum ἀρπάζει.

² Fabulæ Mithram et Erichthonium. Si exstaret Eubulas, qui historium Mithræ multis voluminibus explicavit, facile intelligeremus quomodo Mithras de solo æstu libidinis sit generatus. Sed hæc Gentilium fabula nec nobis, nec viris doctis satis adhuc comperta. De Erichthonio, sive Erichtheo, nulla difficultas: scimus enim illum creditum fuisse filium Vulcani, qui, cum Minerva colluctaret, semen in terram profudisse dicitur; atque inde editum esse aiunt pueram draconum pedibus, etc.; primus inventor argenti fuit et currus. Vide Ovid. lib. II Metamorph.; et Lactant., lib. II, cap. 17; et Servium in lib. III Georg. Vrgilii. MARTIAN.

³ Mithram e lapide generatum docent scriptores antiqui passim: eratque solemne illud in Mithriacis mysteriis: Θεός ἐκ πέτρας. Justinus in dialogo cum Tryphone, Quando, inquit, illi qui Mi-

thræ initia tradunt, e petra eum natum esse memorant. Et Commodianus lib. In truction:

Invictus de petra natus si Deus habetur,
Nunc ergo retro vos de istis date priorem;
Vicit petra Deum, quærendus est petræ creator.

De Erichthonio fabula est notior.

⁴ Amovimus hinc vacem uxorem, quæ falso intrudebatur, nec in ullo nostrorum codicum, aut veteri editione habetur.

⁵ Casanatensis, Qui in matrimonio sunt deprehensi, an, etc.

⁶ Idem cum veteri editione, et rectius, mulierem, non uxorem.

⁷ Erat accipi, renuentibus mss.

⁸ Impleo continentis. Plures mss. codices retinent continentis vocem, pro verbo Christiani, quod legitur apud Erasmus, et in paucis exemplaribus mss. MARTIAN.

rius compositio crinium, et distinctio auri, et in cultu vestis ornatus; sed absconditus cordis homo, in incorruptione mitis et silentis spiritus. Hoc est coram Deo placens (I Petr. III, 2, 3). Cernis, quale conjugium inter viros uxoresque præcipiat? Cohabitan-
tantes juxta scientiam, ut noverint quid velit, quid desideret Deus, ut tribuant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos a coitu, honorem tribuimus uxoribus: si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam. Ad uxores quoque, ut videant, inquit, viri¹ castam conversationem vestram, et ornatum in abscondito cordis hominem, in incorruptione mitis et silentis spiritus. O vere digna vox Apostolo, et Petra Christi! Maritis uxoribusque dat legem, et damnato carnis ornatu, castitatem prædicat, et ornatum interioris hominis, in incorruptione mitis et silentis spiritus, quodammodo hoc dicens: Quoniam exterior vester homo corruptus est, et beatitudinem incorruptionis, quæ proprie virginum est, habere desiistis, imitamini incorruptionem spiritus saltem per seram abstinenciam, et quod corpore non potestis, mente præstate. Has enim Christus divitias, et hos vestræ conjunctionis quærit ornatus.

8 Verum ne quis putet ex eo quod sequitur: *Ut vacetis orationi, et iterum revertimini* [Al. ad id ipsum] ad ipsum, Apostolum hoc velle, et non propter majorem ruinam concedere, statim infert: *Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Pulchra nimirum indulgentia, et iterum ad ipsum. Quod erubescit suo vocare nomine, quod tentationi præfert Satanae, quod causam habet incontinentiam, 249 laboramus quasi obscurum disserere, cum exposuerit ipse quod scripsit: *Hoc autem, inquit, dico juxta indulgentiam, non juxta imperium*². Et mussitamus adhuc nuptias non vocare indulgentiam, sed præceptum, quasi non eo modo et secunda et tertia matrimonia concedantur, quasi non et fornicatoribus per pœnitentiam fores aperiantur Ecclesiæ, quodque his est majus, et incestis? Nom illum violatorem novercæ, quem in prima ad Corinthios Epistola tradiderat Satanae (I Cor. v), in interitum carnis, ut spiritus salvus fleret, in secunda retrahit (II Cor. II), et ne abundantiori tristitia absorbeatur frater, laborat. Aliud est, velle quid Apostolum, aliud est ignoscere. In voluntate promeremur, in venia abutimur. Vis scire quid velit Apostolus? Junge quod sequitur:

¹ Denuo Casanatensis. *videant, inquit, in timore castam, etc.* Deinde, in abscondito cordis homine puto legendum, pro hominem, et vocem ornatum substantive accipi debere. Græce κόσμον. Suffragatur Veronensis ms. emendatissimus, atque ipse Hieronymi contextus.

² Nostri codices elegantius, cum exposuerit se ipse qui scripsit.

³ In Veronensi et S. Crucis mss. omnium antiquissimis isthæc interseruntur: « In præcepto gloria, in indulgentia vix remissio. Coronat quod præcipit, notat ad pœnitentiam quod relaxat. Ibi summa actionis est, pœnam evadere; hic coronam

A *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum* (I Cor. VII, 7). Beatus qui Pauli similis erit. Felix qui audit Apostolum præcipientem, non ignoscenter. Hoc, inquit, volo, hoc desidero, ut imitatores missis, sicut et ego Christi. Ille virgo de Virgine, incorrupta incorruptus. Nos quia homines sumus et nativatem Salvatoris non possumus imitari imitemur saltem conversationem. Illud divinitatis est et beatitudinis, hoc humanæ conditionis est laboris. Volo omnes homines similes mei esse, dum mei similes sunt, similes fiant et Christus cuius ego similis sum. *Qui enim in Christum credit debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (I Jo. I, 6). *Sed unusquisque proprium donum habet Deo: alius quidem sic, alius autem sic* (I Cor. VII, 7). Quid, inquit, velim, perspicuum est³. Quoniam in Ecclesia diversa sunt dona, concedit et nuptias, ne videar damnare naturam. Simulc considera, quod aliud donum virginitatis sit, aliud nuptiarum. Si enim eadem esset merces⁴ nuptiarum et virginum, nunquam dixisset post præceptum continentia: *Sed unusquisque proprium habet donum ex Deo: alius quidem sic, alius autem sic.* Ubi proprietas singulorum est, ibi altrinsæ diversitas. Concedo et nuptias Dei 250 donum sed inter donum et donum magna diversitas. Denique et Apostolus de eodem post incestum pœnitente, *E contrario, inquit, donate ei et consolamini et si cui quid donastis, et ego* (II Cor. II, 7). Ac putaremus donum hominis esse contemnendum addidit: *Nam ei ego quod donavi, si quid donastis propter vos, coram Christo* (Ibid. 40). Diversa sunt dona Christi. Unde et Joseph in typo ejus var habebat tunicam. Et in Psalmo quadragesimo quod legimus: *Astitit regina a dextris tuis, in veste deaurata, circumdata varietate* (Psal. XLIV). Et Petrus apostolus, *Sicut cohæredes, ait, multiplicis gratiæ Dei* (I Petr. III, 7). Quod significativius Græce dicitur ποικίλης⁵, id est, varix.

9. Sequitur: *Dico autem innuptis et viduis: num est eis, si sic permanserint, ut ego. Si autem non se continent, nubant. Melius enim est nudi quam uri* (I Cor. VII, 8). Postquam nuptis consecrat usum conjugii, et ostenderat ipse quid vellet concederet, transit ad innuptas et viduas et sui proponit exemplum, et felices vocat, si permanserint. *Si autem non se continent, nudum se ipsum quod supra, Propter fornicationes ad*

adeptum fuisse, res debiti. Diversis itineribus indulgentia currit et gratia. Quid, inquit, » etc.

⁴ Erat antea nuptiarum, minus bene.

⁵ Hodierna Græca exemplaria fere præfati χάριτος ζωής, raro χάριτος ποικίλης. Vulgata que gratiæ vitæ, quod fraudi fuit Victorio, quod dari putavit Petri epistolæ c. IV, versum 10 Græcus ac Latinus multiplicem gratiam dicit. Inde superiorem vocem cohæderes necessario tandem censuit in dispensatores, ex utroque etque in Apolog. quidem ad Pammachium epist. 48, ita ex præconcepta opinione mutavit

Et, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. Redditque causam, cur dixerit, Si se non continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. Ideo melius est nubere, quia pejus est uri. Tolle ardorem libidinis, et non dicet, melius est nubere. Melius enim semper ad comparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni. Velut si diceret: Melius est unum oculum habere, quam nullum: melius¹ uno inniti pede, et alteram partem corporis baculo sustentare, quam fractis cruribus repere. Quid ais, Apostole? Non tibi credo dicenti, *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia*. Quomodo illud de humilitate descendit, *Quia non sum dignus vocari Apostolus*. Et, *Mihi minimo omnium apostolorum*. Et, *Tanquam abortivo*, sic et hoc humilitatis dictum puto². Nosti sermonum proprietates, quomobrem et de Epimenide, et de Menandro, et 251 de Arato quaedam sumis testimonia. Ubi de continentia loqueris et virginitate: *Bonum est*, ais, *homini mulierem non tangere*. Et, *Bonum est eis, si sic permanserint ut ego*. Et, *Puto hoc bonum eis esse propter instantem necessitatem*. Et, *Quia bonum est homini sic esse*. Ubi ad nuptias venis, non dicis, bonum est nubere, quia non potes jungere, quam uri; sed dicis: *Melius est nubere quam uri*. Si per se nuptiæ sunt bonæ, noli illas incendio comparare: sed dic simpliciter, bonum est nubere. Suspecta est mihi bonitas ejus rei, quam magnitudo alterius mali malum esse cogit inferius. Ego autem non levius malum, sed simplex per se bonum volo.

10. *Mulieres fideles junctæ infidelibus. Matronæ sævituræ in Hieronymum. Abraham adjurat servum in Christo*. Hucusque primum capitulum edisertum est, veniamus ad sequentia. *His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem³ non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidellem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittet illam; et cætera usque ad eum locum, ubi ait: Unusquisque sicut vocavit eum Deus, ita ambulet, et sicut in omnibus Ecclesiis doceo (I Cor. VII, 40 seqq.)*. Hic locus ad præsentem controversiam non pertinet. Docet enim, juxta sententiam Domini, uxorem, excepta causa fornicationis, non repudiandam, et repudiatam, vivo marito, alteri non nubere, aut certe viro suo reconciliari debere. His autem quos in matrimonio deprehendisset fides, hoc est, si unus⁴ credidisset e duobus, præcipit ne

¹ Martian., *Melius est enim uno*, etc. Ex mox quid agis, Apostole, etc.

² Antea erat *puta*, renuentibus mss.

³ Expunximus hinc vocem *suam*, quam neque nostri codices, nec denique hodierna Vulgata habent.

⁴ Nostri codices constanter habent *Christo et Belial*: juxta Græc., Χριστῷ πρὸς βελίαι. Sed et

eredens repudiet non credentem. Causisque expositis, quod candidatus fidei sit infidelis, si nolit a credente discedere: e contrario jubet, si infidelis repudiet fidelem propter fidem Christi, discedere debere credentem, ne [Al. nec] conjugem præferat [Al. præferre] Christo, cui etiam anima postponenda est. At nunc pleræque contempnentes Apostoli jussionem, junguntur gentilibus, et templa Christi idolis prostituunt; nec intelligunt se corporis ejus partem esse, cujus et costæ sunt. Ignoscit Apostolus infidelium conjunctioni, quæ habentes 252 maritos, in Christum postea crediderunt; non his, quæ cum Christianæ essent, nupserunt gentilibus. ad quas alibi loquitur: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial⁵? aut quæ pars fidei cum infidei? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi (II Cor. VI, 14 et seqq.)* Licet enim in me sævituras sciam plurimas matronarum; licet eadem impudentia qua Dominum contempserunt, in me pulicem et Christianorum minimum debacchaturas: tamen dicam quod sentio: loquar quod me Apostolus docuit, non illas justitiæ esse, sed iniquitatis; non lucis, sed tenebrarum; non Christi, sed Belial; non templa Dei viventis, sed fana et idola mortuorum. Vis apertius discere, quod Christianæ omnino non liceat ethnico nubere? Audi eundem Apostolum, *Mulier*, inquit, *alligata est quanto tempore vir ejus vivit⁶; quod si dormierit vir ejus liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino (I Cor. VII, 39)*, id est, Christiano. Qui secundas tertiasque nuptias concedit in Domino, primas cum ethnico prohibet. Unde et Abraham abjurat servum in femore suo, hoc est, in Christo, qui de ejus erat semine nasciturus, ut filio suo Isaac alienigenam non adducat uxorem. Et Ezras offensam Dei hujuscemodi uxorum repudiatione compeoit (II Esdr. x). Et Malachias propheta: *Prævaricatus est, inquit, Judas, et abominationem fecit in Israel et in Jerusalem. Polluit enim sanctum Domini, et dilexit, et habuit filiam Dei alieni. Disperdat Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum, et discipulum, de tabernaculis Jacob: et offerentem numera Domino virtutum⁶ (Malach. II, 11, 12)*. Hæc idcirco dixi, ut qui nuptias virginitati comparant, sciant saltem tales nuptias digamiæ et trigamiæ subjiciendas.

11. *Intelligentiam suam reprehendendam putat. Fides proprie Christianorum est*. — Ad superiorem disputationem, in qua docuerat fidelem ab infideli non debere discedere, sed permanere in matrimonio

Belix pro *Belial* invenimus.

⁵ Victorius addit *legi*, ut cum Vulgata faciat, nam in Græcis exemplaribus sæpius τῷ νόμῳ deest, nec Hieronymiani mss. hoc loco habent. Casanatensis paulo post, *id est Christiano, non ethnico, qui secundas*, etc.

⁶ Casanatensis male *et non offerentem*.

sicut eos invenisset fides, et unumquemque vel cœlibem, vel maritum ita durare ut esset Christi baptismo deprehensus, infert subito parabolas **253** circumcisi et ethnici, servi et liberi: et sub metaphora earum de nuptis disputat et innuptis. *Circumcisis aliquis vocatus est, non adducat præputium. In præputio vocatus est, non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus, est, in ea permaneat. Servus vocatus es, non sit tibi curæ. Sed et si potes liber fieri, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter et qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo ¹ in quo vocatus est frater, in eo permaneat apud Deum (I Cor. vii, 18 seqq.).* Ac primum, quia nonnullos hanc intelligentiam reprehensuros arbitror, interrogare libet quæ sit consequentia, ut de maritis et uxoribus disputans, repente transiret ad comparisonem Judæi et ethnici, servi et liberi: et rursum, hac disputatione finita, rediret ad virgines dicens: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo (I Cor. vii, 5).* Quid sibi vult inter conjugia et virginitatem, Judæi et ethnici, servi liberique collatio? Secundo quomodo possit intelligi, *Circumcisis aliquis vocatus est, non adducat præputium (Ibid. 18)?* Nunquid qui semel amputatum habet præputium, potest ² si velit rursus illud adducere? Deinde quo sensu exponendum sit, *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini? Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi (Ibid., 22)?* Quarto, quomodo ille qui præcepit servis obedire dominis carnalibus, nunc dicat: *Nolite fieri servi hominum (Ibid. 23)?* Ad extremum, quid pertineat ad servitutem, vel circumcisionem, *Unusquisque in quo vocatus est frater, in eo permaneat apud Deum?* Nam et contrarium est superiori sententiæ. Si enim illud audivimus: *Nolite fieri servi hominum*, qua ratione possumus in ea permanere vocatione qua vocati sumus, cum multi crediderint habentes carnales dominos, quibus nunc servire prohibentur? Porro ad circumcisionem quid facit permanere in ea vocatione, in qua vocati sumus, cum in alio loco idem Apostolus clamitet: *Ecce Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (Galat. v, 2)?* Restat igitur, ut circumcisio **254** et præputium, servus et liber, superiori sensui coaptentur, et de antecedentibus pendeant. *Circumcisis ³ aliquis vocatus est, non adducat præputium.* Eo, inquit, tempore quo vocatus es, et credidisti in

A Christum, si circumcisis vocatus es ab uxore, cœlebs eras: noli ducere uxorem, hoc est, r adducere præputium, ne circumcisionis et pudici libertatem oneres sarcina nuptiarum. Rursus in præputio quis vocatus est, non circumcidat. Habebas, inquit, uxorem, cum credidisti: r fidem Christi putare causam dissidii, quia in p vocavit nos Deus. *Circumcisio nihil est, et prætium nihil est; sed observatio mandatorum (Ibid. 19).* Nihil enim prodest absque operi cœlibatus, et nuptiæ, cum etiam fides, quæ pro Christianorum est, si opera non habuerit, non esse dicatur, et hac lege virgines quoque Ver et Junonis univiræ in sanctarum queant or numerari: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permanent (Ibid., 24).* Quando cred sive habebat, sive non habebat uxorem, in eo maneat, in quo vocatus est. Ac per hoc non virgines cogit ut nubant, quam repudia prohibent. Et sicut habentibus uxores tollit licentiam distendi eas, sic virginibus nubendi amputat factem: *Servus vocatus es, non sit tibi curæ; sed potes liber fieri, magis utere.* Etiam si habes uxorem, et illi alligatus es, et solvis debita et non habes tui corporis potestatem; atque manifestius loquar) servus uxoris es, noli pro hoc habere tristitiam, nec de amissa virginitate spires. Sed etiam si potes causas aliquas invadissidiis, ut libertate pudicitiae perfruaris, nolitem tuam cum alterius interitu querere. Hic paulisper uxorem, nec præcurras morantem spectanda dum sequitur. Si egeris patienter, commutabitur in sororem: *Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.* Redditur cur nolit uxores deserere. Idcirco ait: Præcipio in Christum de gentilitate credentes inita fidem matrimonia non relinquunt: quia qui uxorem habens credidit, non tanto Dei se detinetur, quanto virgines et innuptæ; sed dammodo est liberior, et servitutis illi frenatur; et dum uxoris est servus, ut ita dicatur libertus est Domini. Porro qui uxorem non habet, et liber a servitute conjugii vocatus Domino, ille vere servus est Christi. Quanta citas, non uxoris servum esse, sed Christi carni servire, sed spiritui! *Qui enim adhæremus Domino, unus spiritus est (I Cor. vi, 17).* Ac n sitam in eo, quod supra dixerat, *Servus vocatus non sit tibi curæ: sed et si potes liber fieri, utere*, suggillasse continentiam videretur, et mulatum nos tradidisse conjugum, infert se

¹ Voculam ergo nec Græcus habet, nec mss. Hieronymiani, tum fratres plurium numero, non frater habent hic atque infra cum Græco itidem ἀδελφός. Denique pro quæ sit consequentia, legunt, quæ sit consequens sententia.

² Sentit superadduci præputium non posse, contra quam alibi plus fortasse quam satis diximus.

Vide ejus loci interpretes.

³ In Veronensi et Cisterciensi omnium ant simis mss. isthæc subduntur: « De circumcisi cognominatione ferias libidinis docet, qu pars corporis truncanda est, cujus expecta rebus erubescendis periculum. » Ipse infra: « nymus, discant prius ferias nuptiarum. »

tiam, quæ omnem amputet cavillationem: *Pretio A empti estis, nolite fieri servi hominum.* Redempti sumus pretiosissimo sanguine Christi: immolatus est pro nobis agnus, et aspersi calidissimo rore hyssopi, omnem pituitam noxiæ voluptatis excoimus. Quibus in baptisate mortuus est, Pharaon¹, et universus ejus suffocatus est exercitus, cur rursus Ægyptum quærimus, et post manna, angelorum cibum, allia et cepe et pepones, et carnes Pharias suspiramus²?

12. *Quare Deus virginitatem non præcepit. Feriæ nuptiarum quæ? Quare plus amat virgines Christus. Significantia verborum consideranda.* — Maritorum et continentium disputatione præmissa, tandem ad virgines venit, et ait: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse*³ (I Cor. vii, 25, 26). Hic adversarius tota exultatione bacchatur; hoc velut fortissimo ariete, virginitatis murum quatiens: « Ecce, inquit, Apostolus profitetur de virginibus Domini se non habere præceptum: et qui cum auctoritate de maritis et uxoribus jusserat, non audet imperare quod Dominus non præcepit. Et recte: Quod enim præcipitur, imperatur; quod imperatur, necesse est fieri; quod necesse est fieri, nisi fiat, pœnam habet. Frustra enim jubetur, quod in arbitrio ejus donitur, cui jussum est. » 256 [Si virginitatem Dominus imperasset, videbatur nuptias condemnare, et hominum auferre seminarium, unde et ipsa C virginitas nascitur. Si præcidisset radicem, quomodo fruges quæreret? Nisi ante fundamenta jecisset, qua ratione ædificium extrueret, et operaturum cuncta desuper culmen imponeret? Multo labore fossorum subvertuntur montes; terrarum⁴ pene inferna penetrantur, ut inveniantur aurum. Cumque de granis minutissimis prius conflatione cornacis, deinde callida artificis manu fuerit monile compactum, non ille beatus vocatur, qui de luto excrevit aurum, sed qui auri utitur pulchritudine. Noli igitur admirari, si inter titillationes carnis, et incentiva vitiorum, angelorum vitam non

¹ Hand dubium quin peccatum, aut Dæmon, cuius Pharaon typum gerit. Solemnis hæc apud veteres allegoria.

² Hucusque obtinuit *carnes varias*, tametsi *Farias* in mss. plerisque inveniri ipse Martianus fateatur. Ita equidem duo nostri præstantissimi, a quorum fide non est recedendum. Tantum aspirare malui *Pharias*,: sicque explico appellatas ex loco ubi carnes Hebræus populus concupivit: id est *In solitudine Pharan, ubi fastidians cælestem panem, Ægyptiorum carnes desiderans... accepit coturnices, et usque ad nauseam et vomitum devorat, etc., quemadmodum ab ipso Hieronymo explicatum est in Epistola de mansionibus, mans. XIII. Vide Num. XVI, versu 13 et seq. Cæterum scio Pharias vulgo pro pharaonicas accipi juxta illud Prudentii in Apotheosi:*

Hæc regis Pharii regnum ferale resolvit.

exigimur, sed docemur. Quia ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum. necessitas est servientis⁵. *Præceptum, inquit, Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino* (I Cor. vii, 25). Si non habes præceptum Domini, quare audes dare consilium, de quo non habes jussionem? Respondebit mihi Apostolus: Et vis ut ego jubeam, quod Dominus obtulit potius, quam præcepit? Ille creator et figulus sciens fragilitatem vasculi, quod operatus est, virginitatem in audientis potestate dimisit, et ego doctor gentium, qui omnibus omnia factus sum (I Cor. ix, 22), ut omnes lucrifacerem, onus perpetuæ castitatis statim in principio credentium imponam cervicibus infirmorum? Discant prius ferias nuptiarum, vacent ad tempus orationi, ut accepto gustu pudicitiae, id semper habere desiderent, quo ad modicum delectati sunt. Dominus tentatus a Pharisæis, utrum secundum legem Moysi uxores liceret dimittere, omnino fieri prohibuit. Quod discipuli considerantes, dixerunt ei: *Si talis est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Quibus ille respondit: Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de ulero matris ita nati sunt, et sunt eunuchi, qui ab hominibus eunuchizati sunt; et sunt eunuchi, qui se castraverunt propter* 257 *regnum cælorum. Qui potest capere, capiat* (Matth. xix, 10 seqq.). In propatulo est cur Apostolus dixerit, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo; profecto qui præmiserat Dominus: Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est. Et, Qui potest capere, capiat. Proponit ἀγωνοθέτης præmium, invitatur ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium ostendit purissimum fontem, et clamitat: Qui silit, veniat, et bibat. Qui potest capere, capiat* (Joan. vii, 37). Non dicit, velitis nolitis, bibendum vobis est, atque currendum; sed qui voluerit, qui poterit currere, atque potare, ille vincet, ille satietur. Et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Majorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris. Apostoli uxoris onera contemplati: *Si talis est, inquit, causa hominis*

Et carnes varias suspiramus. Ita legit codex ms. Sangermanensis, et alter Carnutensis. Corbeiensis autem prima manu, *Et carnes Farias suspiramus;* sed *Farias* mutavit recentior manus in *varias*, addens in margine, *id est Faraonicas.* Unus Regius, et alter Colbertinus, legunt ambo, *Et carnes Pharaonicas.* Unus monasterii nostri S. Petri Carnutensis, *et carnes ferinas.* Denique codex Sancti Ebrulphi, *Et carnes varias, hoc est Pharaonicas.* Hanc codicum mss. dissonantiam hoc loco docere voluimus lectorem curiosum, ut ex tanta varietate conjiciat quanta sit in aliis sententiis minoris momenti sylva variarum lectionum, quarum tamen non meminimus. MARTIAN.

³ Hæc pericopa, quoniam *bonum est homini sic esse*, in nostris codicibus non invenitur.

⁴ Suffecimus vocem *terrarum* ex consensu mss. et veteri editione.

⁵ Duo præstantiores mss. *necessitas est servitutis.*

cum uxore, non expedit nubere. Quorum Dominus A sententiam probans: Recte quidem sentitis, ait, quod non expediat homini ad cœlorum regna tendenti, accipere uxorem; sed difficilis res est, et non omnes capiunt verbum istud, verum quibus datum est. Alios eunuchos natura facit, alios vis hominum. Mihi illi eunuchi placent, quos castravit non necessitas, sed voluntas. Libenter illos in meos sinus recipio, qui se castraverunt propter regna cœlorum, et ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt. Simulque tractanda sententia: *Qui se, inquit, castraverunt propter regna cœlorum.* Si castrati mercedem habent regni cœlorum, ergo qui se non castraverunt, locum non possunt accipere castratorum. *Qui potest, inquit, capere, capiat.* Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino; et juxta eundem Apostolum, esse sanctum et corpore et spiritu. Hi sunt eunuchi, qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt per Isaiam (*cap. lvi*), quod pro filiis et filiabus locum in cœlis habeant paratum. Hærum typus est Abdemelech [*mss.* Abdamelech] eunuchus in Jeremia (*cap. xxviii*); et spado ille reginæ Candacis in Actis apostolorum (*cap. viii*), qui ob robur fidei viri nomen obtinuit. Ad hos et Clemens¹ 258 successor apostoli Petri, cujus Paulus apostolus meminit, scribit Epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexit: et deinceps multi Apostolici, et Martyres et illustres tam sanctitate quam eloquentia viri, quos ex propriis scriptis nosse perfacile est. *Existimo enim, inquit, hoc opus bonum² esse propter instantem necessitatem (I Cor. vii, 26).* Quæ est illa necessitas quæ, spreto vinculo conjugali, virginitatis appetit libertatem? *Væ prægnantibus et nutrientibus in illo die (Matth. xxiv, 15; Marc. xiii, 14; Luc. xxi, 23).* Non hic scorta, non hic lupanaria condemnantur, de quorum damnatione nulla dubitatio est: sed uteri tumescentes, et infantum vagitus, et fructus atque opera nuptiarum. *Quoniam bonum est homini sic esse (I Cor. vii, 26).* Si bonum est homini sic esse, malum est ego homini sic non esse: *Alligatus est uxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore, nolle quærere uxorem (Ibid.*

27). Habet unusquisque nostrum terminos suos: redde mihi meum, et tuum tene. Si alligatus es uxori, ne illi des repudium. Si solutus sum ab uxore, non quæram uxorem. Ut ego non solvo conjugia, si semel ligata sunt; ita tu non liges quod solutum est. Simulque significantia consideranda verborum est. Qui uxorem habet, ut debitor dicitur, et esse in præputio, et servus uxoris, et quod malorum servorum est, *alligatus.* Qui autem sine uxore est, primum nullius debitor est, deinde

¹ Pro virginitate locutum fuisse S. Clementem per epistolas suas testatur etiam S. Epiphanius Hæres. 30, c. xv, et locus quidem ejusmodi occurrit in priori sua ad Corinthios.

² Impressi hoc opus bonum, etc., sed opus redun-

A circumcisis, tertio liber, ad extremum solut

13. *Virgines incestæ si nupserint post consecrationem. Tempus vitæ omne breve est. Præceptor ronymi Gregorius Nazianzenus. Virginitas quæ hostia Christi. Quid intersit inter nuptias et virginitatem.* — Curramus per reliqua, neque e nos patitur magnitudo voluminis diutius in gulis immorari. *Si autem acceperis uxorem, peccasti.* Aliud est non peccare, aliud benefacere. *Et si nupserit virgo, non peccavit* (Al. *peccavit*). Non illa virgo, quæ se semel Dei cultui dedicavit, harum enim si qua nupserit, habebit damnationem quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc viduis dictum objecerit, quanto magis de virgibus prævalebit, cum etiam his non liceat quando aliquando licuit! Virgines enim, quæ post consecrationem nupserunt, non tam adulteræ sunt, quæ incestæ. Ac ne videretur in eo quod dixerat: *Et si nupserit virgo non peccavit*, 259 rursus cœlibes a nuptiis provocare, statim se refrenat (Al. refrenat et aliud inferendo, infirmavit), quod concesserat: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Qui sunt isti qui tribulationem carnis habebunt? Quibus supra indulserat: *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit* [Al. *peccavit*]. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Ignari rerum, putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiâ. Si autem nubentibus etiam in tribulatio est, in qua sola videbantur habere lætitiâ, quid erit reliquum propter quod nubant et in spiritu, et in anima, et in ipsa carne tribulatio sit? *Ego autem vobis parco.* Sic, ait, ob carnis tribulationem, quasi non majora sint propter quæ non debeatis. *Igitur hoc dico, fratres. Tempus breve est. Reliquum est, ut qui habent uxores, sic sint tanquam non habentes.* Nequaquam de virginibus disputo, quos nulla ambigunt esse felices. Ad maritos venio. Tempus est, Dominus prope est. Etiam si nongentis viveret annis, ut antiqui homines, tamen breve putaretur, quod haberet aliquando finem, et esset sicut. Nunc vero cum brevis sit non tam longa quam tribulatio nuptiarum, quid accipimus ut quas cogemur cito amittere? *Et qui flent, et gaudent, et emunt, et utuntur hoc mundo, sint quasi non flent, gaudeant, emant, et utantur hoc mundo: præterit enim figura hujus mundi (I Cor. vii, 30 seqq.).* Si mundus transit, quo universa mutantur; imo figura et conversatio hujus mundi quasi nubes præterit, inter cœtera mundi et nuptiæ præteribunt. Neque enim erunt post resurrectionem conjugia. Si autem mors finis nuptiarum, cur necessitatem non in voluntate timemus? Et quod invitis extorquendum est, cur spe præmiorum offerimus Deo? *Qui sine uxore*

dare, tum nostri codices docuerunt, tum C Latinusque textus. Alia quædam minoris momenti supra atque infra emendamus.

³ Veronensis, ut et qui habent. Græco., ἡν

sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat uxori, et divisus est. Intueamur curarum virginis, maritique 200 distantias. Virgo Domino, maritus uxori placere desiderat, et ut uxori placeat, sollicitus est de his quæ sunt mundi, quæ cum mundo utique transitura sunt : *Et divisus est*, in multas scilicet sollicitudinum partes miseriarumque distractus. Non est hujus loci nuptiarum angustias describere, et quasi in communibus locis rhetorico exsultare sermone. Plinius super hac re contra Helvidium, et in eo libro quem ad Eustochium scripsi, arbitror absolutum. Certe et Tertullianus, cum adhuc esset adolescens, lusit in hac materia ¹. Et præceptor meus Gregorius Nazianzenus virginitatem et nuptias disserens, Græcis versibus explicavit. Nunc illud breviter admoneo, in Latinis codicibus hunc locum ita legi : *Divisa est virgo et mulier* ². Quod quanquam habeat suum sensum, et a me quoque pro qualitate loci sic edisertum sit, tamen non est apostolicæ veritatis. Siquidem Apostolus ita scripsit, ut supra transtulimus : *Sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*; et hac sententia definita, transgreditur ad virgines et continentes, et ait : *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ sunt Domini ut sit sancta corpore et spiritu*. Non omnis innupta, et virgo est. Quæ autem virgo, utique et innupta est. Quanquam ob elegantiam dictionis potuerit id ipsum altero verbo repetere, *mulier innupta et virgo*; vel certe definire voluisse quid esset innupta, id est, virgo; ne meretrices putemus innuptas, nulli certo matrimonio copulatas. Quid ergo cogitat innupta et virgo? *Quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu*. Ut nihil aliud esset, ut nulla merces virginem amplior sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt. Statimque docet quæ sit ipsa cogitatio, ut sit sancta corpore et spiritu. Nonnullæ quippe sunt virgines carne, non spiritu,

¹ Indicat fortasse poema aliquod de Virginitate scriptum a Tertulliano in adolescentia; neque enim lusisse dici potest in eo qui *Exhortatio ad castitatem* inscribitur, et sub vitæ finem compositus est, et præterea de molestiis nuptiarum ex proposito agebat teste, ipso Hieronymo. Mox additum *Nazianzenus* in nullis mss. invenimus.

² Mss. ut in textu habetur, *mulier et virgo*. Eum sensum edisseruit lib. contra Helvidium, et in epist. 22. ad Eustochium, quam vide num. 21, not. c.

³ Rursus Veronensis et Cisterciensis mss. addunt « Arduum et humanitatem transgrediens præceptum : cum jussio sit eviscerat, imperant enim majora viribus et de cœpti necessitate solvit obnoxium. » quæ et vitiosa traiectione peccant, et peregrinam operam sobolent.

⁴ Veronensis sed ad id absque ut, quod nec Græcus textus habet. Olim addebatur in fine, *vos adhorter*.

⁵ Πρὸς τὸ εὐσχημον. Corruptissime Erasm. et Marian. more suo hunc locum ediderunt. Primum supplet in Latinis, *vos adhorter*, quæ non leguntur in mss. codicibus; deinde Græcum versiculum totum recitant, eum Hieronymus ultimam partem

A quarum corpus integrum est, anima corrupta. Sed illa virginitas hostia Christi est; ³ cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit. E contrario, quæ nupta est, cogitat quæ mundi sunt quomodo ²⁶¹ placeat viro. Sicut qui uxorem habet, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, sic nupta res mundi cogitat, quomodo placeat viro. Nos autem non sumus de hoc mundo, qui in maligno positus est, cujus figura præterit, de quo dicitur ad apostolos : *Si essetis de hoc mundo, amaret* [Al. *amasset*] *utique mundus quod suum errat* (Joan. xv, 19). Ac ne forsitan putaretur onus gravissimum castitatis nolentibus imponere, statim jungit causas suadendi, et ait : *Hoc autem ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vobis injiciam sed ut ad id ⁴ quod honestum est, et intente facit servire Domino, absque ulla distractione*. Proprietatem Græcam Latinus sermo non explicat : quibus enim verbis quis possit edicere, Πρὸς τὸ εὐσχημον ⁵ καὶ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως? Unde et in Latinis codicibus, ob translationis difficultatem, hoc penitus non invenitur. Utamur igitur eo quod vertimus. Non imponit nobis Apostolus laqueum, nec cogit esse quod nolumus; sed suadet quod honestum est et decorum, et intente facit servire Domino et semper esse sollicitum, et exspectare paratam ⁶ Domini voluntatem, ut eum quid imperaverit, quasi strenuus et armatus miles statim impleat quod præceptum est, et hoc faciat sine ulla distentione [Al. *distentatione*] : quæ data est secundum Ecclesiasten (*cap. III*) hominibus hujus mundi, ut distendantur in ea ⁷. Si quis autem considerat virginem suam, id est, carnem lascivire, et ebullire in libidem ⁸, nec refrænare se potest : duplexque ei incumbit necessitas, aut accipiendæ conjugis, aut ruendi ⁹; quod vult faciat, non peccat, si nubat. Faciat, inquit, quod vult, non quod debet. Non peccat, si ducit uxorem; non tamen bene facit, si duxerit : *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potesta-*

ejus, non expressam ob translationis difficultatem, tantam retineat juxta fidem omnium exemplarium manuscriptorum. Quoque pejus est, non monent lectorem, quæ addiderint de suo, et obtruderint multa in contextum Hieronymianum, nulla justa necessitate cogente. Notabile porro existimavi, quod legimus in codice ms. Sangermanensi, in quo post vocem *edicere*, posuit Amanuensis GRE. Unde, etc., ut ostenderet, nec legeret. Cæteri omnes codices retinent omnia verba Græca, quæ nos edidimus. MARTIAN.

— Mss. Veronen. et Cistercien. pro εὐπρόσεδρον aperte legunt ΕΥΗΑΡΕΑΡΟΝ, non diverso quidem sensu, sed lectione haud spernenda.

⁶ Antea erat *paratum*, renuentibus mss.

⁷ Iterum et pari consensu duo codices Veronensis et Cisterciensis addunt : « Ebullire dicitur virgo N.R. F. (sic forte *natura*) id est de verecundo : in desiderium carnalis appetentiæ fervore membrorum, animæ vigor exstinguitur. »

⁸ Casanatensis *carnem lascivientem ebullire*, etc.

⁹ Obtinebat antea incongruo sensu, aut *spernendæ* pro aut *ruendi* quod restituimus ex nostrorum

tem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicat ¹ in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit (I Cor. vii, 37, 38). Signanter et proprie supra dixerat, Qui ducit uxorem, non peccat: hic, Qui servat virginem suam, bene facit. Aliud est autem **262** non peccare, aliud est bene facere. Declina, inquit, a malo, et fac bonum (Psal. xxxvi, 27). Illud declinamus, hoc sequimur. In altero perfectio est. Verum ne in eo quod dixit, et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, existimet aliquis observationem nostram non stare; protinus hoc ipsum bonum extenuat, ei obumbrat comparatione melioris, et dicit: Et qui non jungit melius facit. Nisi illaturus esset [Al. fuisset] melius facit, nunquam præmississet, bene facit. Ubi autem bonum et melius est, ibi boni et melioris non unum est præmium; et ubi non unum præmium, ibi utique dona diversa. Tantum est igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare, et bene facere; imo, ut levius dicam, quantum inter bonum et melius.

14. Viduæ quæ pascuntur eleemosynis Ecclesiæ. — Finita disputatione conjugiorum et virginitatis, inter utrumque cauto moderamine præceptorum, ut nec ad sinistram, nec ad dexteram diverteret, sed via regia graderetur, et illud implet: Ne sis justus multum (Eccl. vii, 17), rursus monogamiam digamiæ comparat, et quomodo nuptias subdiderat virgini, ita digamiam primis nuptiis subjicit, et ait: Mulier alligata est, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum consilium meum. Puto autem quod et ego spiritum Dei habeam (Cor. vii, 39, 40). Concedit secundas nuptias, sed volentibus, sed his, quæ se continere non possunt; ne luxuriatæ in Christo, nubere velint, habentes damnationem, quod primam fidem irritam fecerint, et hoc concedit, quia multæ erunt retro post Satanam (I Tim. v, 19). Cæterum beatiores, inquit erunt si sic permanserint (I Cor. vii, 40), continuoque subjungit Apostolicam auctoritatem, secundum meum consilium (Ibid.). Porro ne auctoritas Apostoli, quasi hominis, levior videretur, addidit: Puto autem quod et ego spiritum Dei habeam (Ibid.). Ubi ad continentiam provocat, ibi non hominis, sed Spiritus, Dei consilium est; ubi autem nubendi concedit veniam, **263** Spiritum Dei non nominat, sed pru-

omnium mss. fide: qui insuper pro si nubat, legunt ducat uxorem; et nubere quidem de muliere proprie dicitur, non de viro.

¹ lidem mss. « potestatem autem habet, et hoc judicavit; » juxta Græcum εἴπει, et κέκριεν.

² In mss., quomodo enim virginibus fornicationis periculum concedit nuptias... ita eadem fornicatio concedit viduis secunda matrimonia. Superior post vocula in iisdem non habetur. —

³ Nomen Joannis in nostris mss. et veteri editione quoque desideratur.

⁴ Legimus ex emendatissimo Veronensi libro si

A dentia librat consilium, ita singulis relaxans unusquisque ferre potest. Juxta hunc sensum illa sunt accipienda: Nam quæ sub vir mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem tuus fuerit vir, soluta est a lege viri. Igitur, vi viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege non sit adultera, si fuerit cum alio viro (Rom. 2, 3). Et illud ad Timotheum: Volo ergo junctas viduas nubere, filios procreare, matresfamilias nullam occasionem dare adversario maledicti generis. Jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam (I Tim. v, 14, 15), et reliqua his similia. Quod enim virginibus ob fornicationis ² periculum cedit nuptias, et excusabile facit, quod per appetitur, ita ob eandem fornicationem ³ dandam, concedit viduis secunda matrimonia. Non est enim licet alterum et tertium, unum nosse, quam plurimos: id est, tolerabilius est homini prostitutam esse, quam multis. Siquid illa in Evangelio Joannis Samaritana ³ sextum maritum habere dicens, arguitur a Domino, non sit vir ejus (Joan. iv, 17). Ubi enim nuptiarum est, ibi vir, qui proprie unus est desinit. Una costa a principio in unam uxorem facta est. Et crunt, inquit, duo in carne una (Gen. 24: non tres, neque quatuor, alioquin jam duo, si plures ⁴. Primus Lamech sanguinarum homicida, unam carnem in duas divisit uxorem, fratricidium et digamiam, eadem cataclysmi delevit. De altero septies, de altero septies vindicatum est. Quantum dicitur in numero, tantum et in crimine. Quamvis sita sit digamia ⁵, hinc ostenditur, quod in clerum eligi non potest, et ideo Apostolus ad Timotheum: Vidua, inquit, eligatur non sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxorem (I Tim. v, 9). Hic omne præceptum de his est, quæ Ecclesiæ pascuntur eleemosynis. Et in ⁵ ætas **264** præscribitur, ut illæ tantum possint pauperum cibos, quæ jam laborare non possunt. Simulque considera, quod quæ habuit viros, etiamsi anus sit, et decrepita egens, Ecclesiæ stipes non meretur accipere, autem panis illi tollitur eleemosynæ, quantus ille panis qui de cælo descendit, quem quod dignæ comederit, reus erit, violati corporis et sanguinis Christi!

15. Nulla compulsus est velle Paulus.

plures pro sed plures. Sequens locus ex Tertulliano de monogamia expressus ubi, « Primum, scelus homicidium in fratricidio dedicatum, dignum secundo loco scelus non fuit, quam dupli- ptia. Semel tum vim passa institutio Dei per Lamech, constitit postea usque in finem gentis. Asiæ diluvium iniquitates provocaverunt, defensæ quales fuerunt non tamen septuagies se quod duo matrimonia meruerunt. »

⁵ Matim cum veteri editione legi Monogamia Digamia; sed mss. non suffragantur.

quam hæc testimonia quæ supra posui, in quibus viduis conceditur ut, si velint, denuo nubant, quidam interpretantur super his viduis, quas, amissis maritis, sic invenerit fides Christi. Nec enim consequens esset ut¹ Apostolus post baptismum, viro mortuo, jubeat alteri nubere, cum habentibus quoque uxores præceperit, ut sic sint quasi non habentes, et ob hanc causam non esse uxorum numerum definitum: quia post baptismum Christi, etiam si tertia et quarta uxor fuerit, quasi prima reputetur. Alioqui si post baptismum, primo mortuo, accipitur secundus; quare non secundo et tertio, et quarto, et quinto mortuo², accipiatur sextus, et reliqui? Potest enim accidere, ut infelicitate quadam, vel iudicio Dei succidentis nuptias repetitas, adolescentula plures accipiat viros, et anus primo marito in extrema ætate videtur. Primus Adam monogamus: secundus agamus. Qui digamiam probant, exhibeant tertium Adam digamum, quem sequantur. Verum fac ut concesserit Paulus secunda matrimonia; eadem lege et tertia concedit, et quarta, et quotiescunque vir moritur. Multa compellitur Apostolus velle, quæ non vult. Circumcidit Timotheum, rasit ipse calvitium, nudipedalia exercuit, comam nutrit, et totondit in Cenchris. Et certe castigaverat Galatas, Petrumque reprehenderat, quod se propter observationes Judaicas a gentibus separaret. Quomodo igitur in cæteris Ecclesiæ disciplinis Judæis Judæus, ethnicis ethnicus, et omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret: sic et digamiam³ concessit incontinentibus, nec nuptiarum numerum præstinavit, ut dum vident sibi mulieres ita post mortem mariti secundum concedi, ut tertius quartusque conceditur, erubescant alterum accipere, ne trigamis et quadrigamis comparentur. Ubi enim unus exceditur, nihil refert secundus, an tertius sit, quia desinit esse monogamus. *Omnia licent, sed non omnia expediunt* (I Cor. vi, 12; x, 23). Non damno digamos, imo nec trigamos, et, si dici potest, octogamos: plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem. Quidquid æqualiter licet, æquali lance pensandum est.

16. *Castitas semper prælatu nuptiis. Non est bonus duplex numerus.* — Sed quoniam ad vetus nos trahit Testamentum, et incipiens ab Adam, ad Zachariam et Elisabeth pervenit: ac deinde opponit Petrum et cæteros apostolos, nos⁴ quoque debemus per eadem currere vestigia quæstionum, et docere castitatem semper operi nuptiarum fuisse

¹ Nostra exemplaria, *Nec consequens esse ut, etc.*

² Mss. *mortuis*; et mox pari consensu, *plures abjiciat viros pro accipiat*; et paulo post, *secundus Adam virgo pro secundus agamus.*

³ Casanatensis, *Et cæteros apostolos habuisse uxores, nos, etc.*

⁴ Voculam *suam* nec nostra exemplaria nec Græca epistola ad Ephesios habent.

⁵ Tantum non expunximus verba *masculus et femina*, quæ in editis hic interseruntur contra mss. *omnium*, quos consulimus, fidem, imo et textus

prælatam. Ac de Adam quidem et Eva illud dicendum, quod ante offensam in paradiso virgines fuerint: post peccatum autem, et extra paradysum protinus nuptiæ. Deinde, quod hoc ipsum interpretetur Apostolus: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam⁴, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (Ephes. v, 31; Gen. ii, 24), statimque subjungit: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Ibid., 32). Christus in carne virgo, in spiritu monogamus. Unam enim habet Ecclesiam, de qua idem Apostolus: *Viri, inquit, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam* (Ephes. v, 25; Coloss. iii, 19). Si Christus sancte, si caste, si absque ulla macula Ecclesiam diligit: viri quoque in castitate uxores suas diligant, et sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ nesciunt Deum: *Neque enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem* (I Thess. iv, 7): *exuentes nos veterem hominem cum operibus suis, et induentes novum, qui renovatur⁵ in cognitionem secundum imaginem Creatoris sui: ubi non est masculus et femina⁶, Græcus et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia in omnibus Christus* (Coloss. iii, 9, 10, 11). Imago Creatoris non habet copulam nuptiarum. Ubi diversitas sexus aufertur, et veteri homine exuimur, et induimur novo, ibi in Christum renascimur virginem, qui et natus ex virgine, et renatus per virginem est. Quod autem ait: *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (Gen. i, 28), necesse fuit prius plantare silvam et crescere, ut esset quod postea posset excidi. Simulque consideranda vis verbi, *replete terram*. Nuptiæ terram replent, virginitas paradysum. Sed et hoc intuendum duntaxat juxta Hebraicam veritatem⁷, quod cum Scriptura in primo, et tertio et quarto, et quinto, et sexto die expletis operibus singulorum dixerit: *Et vidit Deus quia bonum est* (Gen. i, 10, 11, 12, 18, 21, 25), in secundo die hoc omnino subtraxit; nobis intelligentiam derelinquens non esse bonum duplicem numerum, quia ab unione dividat⁸, et præfiguret fœdera nuptiarum. Unde in arca Noe omnia animalia, quæcumque bina ingrediuntur, immunda sunt (Gen. vii et viii). Impar numerus est mundus. Quanquam in duplici numero ostendatur et aliud sacramentum, quod ne in bestiis quidem et in immundis avibus digamia comprobata sit. Bina enim ingrediuntur⁹ immunda; et septena quæ munda sunt, ut haberet Noe, post

Pauli ad Colossenses iii, 10, cujus hic locus est infra enim nescio quid de sexuum diversitate exponit Hieronymus, quæ illi suteunque suffragantur. Tum legimus, *sed omnia, et in omnibus* cum iisdem mss. et Græco textu.

⁶ Hodie non nisi apud LXX et Arabicam versionem additur secunda die, *vidit Deus*.

⁷ Scilicet ab unitate. Vide in epistolam 2^a, ad Eustochium, pag. 401, n. nobis col. 406, not.).

⁸ Mss., *bina enim et bina ingrediuntur*: mox in Casanatensi Noe nomen desideratur. Cæterum sic

diluvium, quod de impari numero statim Deo A posset offerre.

17. Si autem transfertur Enoch ¹, et servatur in diluvio Noe, non reor idcirco translatum Enoch, quod uxorem habuerit; sed quod primus invocaverit Deum et crediderit in Creatorem ² [Al. Salvatorem], de quo Paulus apostolus in Epistola ad Hebræos plenissime docet (*Hebr.* xi, 5). Porro Noe, qui quasi secunda radix humano generi servabatur, utique cum **267** uxore et filiis debuit reservari. Quanquam in hoc mysterium Scripturarum sit. Arca illa, juxta apostolum Petrum (*I Petr.* iii, 20). typus Ecclesiæ fuit, in qua octo animæ salvæ factæ sunt. Quando ingreditur in eam Noe, tam ipse, quam filii ejus, ab uxoribus separantur; quando vero egreditur in terram, junguntur paria; et quod in arca, id est, in Ecclesia fuerat separatum, in mundi conversatione sociatur. Simulque si arca plures habuit mansiones et nidulos, et bicamerata, et tricamerata, et diversas bestias, et pro qualitate animalium habitationes quoque vel majores vel minores, æstimo quod diversitas illa mansionum præfiguraverit Ecclesiæ varietatem.

18. *Comedendarum carniū licentia.* — Quod autem nobis objicit, in secunda Dei benedictione comedendarum carniū licentiam datam, quæ in prima concessa non fuerat, sciat quomodo repudium juxta eloquium Salvatoris ab initio non dabatur; sed propter duritiam cordis nostri, per Moysen humano generi concessum est: sic et esum carniū usque ad diluvium ignotum fuisse. Post diluvium vero, quasi in eremo murmuranti populo coturnices: ita dentibus nostris nervos et virulentias carniū ³ ingestas. Docet Apostolus scribens ad Ephesios (*cap.* i) Deum proposuisse in adimplentione temporum recapitulare omnia: et ad principium trahere in Christum Jesum ⁴, quæ sunt super cælos et super terram. Unde et ipse Salvator in Apocalypsi Joannis: *Ego sum*, inquit, α et ω , *initium et finis* (*Apoc.* i, 8 et xxii, 13). Ab exordio conditionis humanæ, nec carniū vescebamur,

interpretantur qui septem numero, non septem paria mundorum animalium in arcam ingressa intelligunt, Augustinus, de *Civitate Dei*, xv, 27; Ambrosius de *Arca Noe*, c. 22; Theodoretus, quæst. 50 in *Genes.*, aliique. Notum tamen est alios itidem ex antiquis septena paria intelligere.

¹ Qui primus invocaverit Deum, aut nomen Domini, non Enoch fuit, sed Enos, filius Seth. (*Genes.* iv); quem vero translatum dicit Scriptura (*Gen.* v.) non Enos, sed Enoch, Jared filius est, de quo in epist. ad Hebræos Apostolus loquitur. Forte propter Hieronymum fefellit nominis similitudo.

Creatorem. Falso in editis legitur in *Salvatorem* cum omnes mss. codices retineant in *Creatorem* ne uno quidem excepto. Porro Enoch non est primus, qui invocavit Deum, sed Enos, filius Seth; nisi forte intelligat Hieronymus cultum peculiarem fidei in Enoch, de quo meminit Apostolus in Epistola ad Hebræos, caput xi, ubi nihil dicitur de Enos, filio Seth. MARTIAN.

² Gravius mavult *Jurulentas carnes*; Casanatensis, *Virulentas carnes* habet; sed Veronensis ferme

nec dabamus repudium, nec præputia nobis eripiebantur in signum. Hoc cursu usque ad diluvium pervenimus. Post diluvium autem cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescendum, et repudia concessa duritiæ ⁵, et cultellus circumcisionis appositus; quasi Dei manus plus in nobis creaverit, quam necesse est. Postquam autem Christus venit in fine temporum ⁶, **268** et ω revolvit ad α , et extremitatem retraxit ad principium: nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo: *Bonum est vinum non bibere, et carnes non comedere* (*Rom.* xiv, 21). Et vinum enim cum carniū post diluvium dedicatum est.

19. *Isaac Christ figura.* — Quid loquar de Abraham, ut ipse asserit, trigamo, qui signum fidei in circumcisione suscepit? Si imitamur uxorem illius numerum, imitemur et circumcisionem. Neque enim in parte sectandus, et in parte repudiandus est. Porro Isaac unius Rebeccæ vir, Christi præfiguratur Ecclesiam, et digamiæ suggillat lasciviam ⁷. Si autem duas bigas uxorum et concubinarum habuit Jacob, et non vult adversarius acquiescere, lippientem Liam deformem atque fetuosam synagogæ typum prætulisse: Rachel vero pulchram et diu sterilem, Ecclesiæ significasse mysterium, sciat, eo tempore hoc fecisse Jacob, quando erat inter Assyrios, et in Mesopotamia Laban durissimo domino serviebat. Quando autem Terram sanctam ingredi voluit; et in monte Galaad exstruxit acervum testimonii, in quo nihil inter sarcinas ejus Mesopotamiæ possessor invenerat, jurans se nunquam ad locum in quo servierat reversurum: et ad torrentem Jaboch cum angelo luctatus, claudicare cœpit, et $\pi\lambda\alpha\tau\acute{o}$ νεῦρον [*Scil.* nervus femoris] ejus emarcuit, statimque *Israel* sortitus est nomen: et illa quondam dilecta conjux, pro qua servierat juxta Bethleem, in qua erat virginitatis præcoo Dominus nasciturus, a filio [*Scil.* Benoni] doloris occiditur (*Gen.* xxxv, 18); et consortia Mesopotamiæ evangelica in civitate moriuntur.

elegantius *Jurulentias carnis*. Docent etiam Tertullianus, iv de *Jejuniis*, Origenes, ad Genesis l. xxix; Basilius, Chrysostomus, Theodoritus, aliique, ante diluvium vescendæ carniū copiam non esse factam,

⁴ Mss. nostri, *Ad principium retrahere in Christo Jesu*. Vide Tertullianum lib. v in *Marcionem*.

⁵ Alibi et in Veronensi, *repudii concessa duritia, vel durities*. Alii mox *creaverint*, plurium numero.

⁶ Ex Tertulliano, de *Monogamia*, expressus est locus: « Dicit et Apostolus scribens ad Ephesios, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem impletionis temporum, ad caput, id est, ad initium reciprocare universa in Christo, quæ sunt super cælos, et super terras in ipso, sic et duas Græciæ, summam litteram et ultimam sibi induit Dominus. initii et finis concurrentium in se figuras, uti quemadmodum α et ω , replicatur, ita ostenderet in se esse, et initii decursum ad finem et finis recursum ad initium. »

⁷ Isthæe, *Et digamiæ suggillat lasciviam*, peregrinam subolent manum: certe in nullo mss. quibus utimur, inveniuntur.

20. *Corpus Christi mundi debent sumere.* — Miror autem cur Judam et Thamar nobis proposuerit in exemplum, nisi forte et meretricibus delectatur; aut occisum Onam [mss. Aunam], quod fratri semen inviderit: quasi nos qualemcumque seminis fluxum absque liberorum opere comprobemus. Perspicuum est de Moyse, quod periclitatus esset in diversorio, nisi *Sephora*, quæ interpretatur avis, 269 filium circumcidisset, et præputium nuptiarum cultro evangelico desecasset. Iste nempe Moyses est, qui cum vidisset visionem magnam, et angelum, sive Dominum loquentem ¹ in rubo nequaquam valuit ad eum accedere, nisi solvisset corrigiam calceamenti sui, et abjecisset vincula nuptiarum. Nec mirum hoc de amico et propheta et legifero Dei, cum omnis populus accessurus ad montem Sina, et auditurus eloquium, tribus diebus sanctificari iussus sit, et se ab uxoribus abstinere. Quod quidem scimus (licet præpostere faciam historię ordinem confundere) etiam ad David fugientem ab Achimelech ² sacerdote dictum: *si mundi sunt pueri ab uxoribus* (I Reg. xxi, 3). Et ille respondit: *Ab heri et nudius tertius* (Ibid., 4). Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxoribus cubilibus consurgentes edere non peterant. Et nobis in transitu est contemplandum quod dixit: *Si mundi sunt pueri ab uxoribus?* videlicet quod ad munditias corporis Christi, omnis coitus immunda sit. In lege quoque præcipitur ut pontifex nisi virginem non ducat uxorem (Levit. xxi), nec [mss. ne] viduam accipiat. Si eadem virginis viduæque conditio est, quare altera recipitur, altera reprobat? C Et sacerdotalis vidua in domo jubetur sedere patris sui, nec secundum nosse matrimonium. Si soror virgo moritur sacerdotis, quomodo ipse ad patris ac matris exsequias, ita ad eam jubetur incedere ³. Si vero nupta sit, quasi aliena contemnitur. Qui uxorem duxerit, et qui plantaverit vineam velut propagines filiorum, prohibetur ad bella procedere (Deut. xx, 6). Non enim potest Domini servire militiæ servus uxoris. Et de speculis mulierum jejunantium, quasi ne purissimis corporibus virginum later in tabernaculo funditur: et intrinsecus in

sanctuario tam cherubim, quam propitiatorium, et arca testamenti, et 270 mensa propositionis, et candelabrum, et thuribulum ex auro mundissimo sunt. Neque enim in Sancta sanctorum inferri poterat argentum.

21. *Josue nomina. Secunda circumcisio cum petrino cultello. Regnum quinque sensuum.* — Quid moror in Moyse, cum mihi propositum sit cursim celeriterque dictanti, singula breviter [Al. leviter] perstringere et intelligentiæ quasdam lineas ducere? Transcendam ad Jesum filium Nave, qui ante dictus est *Ause* ⁴, sive ut rectius habetur in Hebræo *Osee*, id est, *salvator*. Ipse enim, secundum Epistolam Judæ, salvavit, et eduxit populum Israel ex Ægypto, et in terram repromissionis induxit. B Hic Jesus statim ut venit ad Jordanem, aquæ nuptiarum, quæ semper in lege fluxerant, arefactæ sunt et steterunt; et siccis pedibus ac nudis populus omnis transiit, et venit in Galgala, ibique secundo est circumcisus. Quod si juxta litteram accipimus, penitus stare non potest ⁵. Si enim duplex haberemus præputium, vel excisa pellicula iterum nasceretur, recte secunda circumcisio haberet locum. Nunc autem hoc significatur, quod Jesus cultello Evangelii populum, qui per desertum venerat, circumcidit, et circumcidit cultello petrino, ut quod in Moysi filio præfigurabatur ante in paucis id sub Jesu impleretur in cunctis. Sed et ipsa præputia in unum cumulum [mss. tumulum] coarctata et sepulta, et terra obruta, et ablatum opprobium Ægypti, et nomen loci *Galgala*, quod interpretatur *revelatio*, ostendunt, dum in præputio ambularet populus per desertum, oculos ejus fuisse cæcatos. Videamus et consequentia. Post Evangelii circumcisionem, et consecrationem duodecim lapidum in loco revelationis, statim Pascha celebratur: immolatur eis agnus, et sanctæ Terræ vescuntur alimentis. Egreditur Jesus, occurrit ei Princeps militiæ gladium tenens, id est, vel pro circumciso populo pugnare 271 se monstrans, vel dissecans glutinum nuptiarum. Similiterque ut Moysi præceptum fuerat, et huic præcipitur: *solve*

¹ Veronensis, sive Dominum, vel Deum loquentem.

² Casanatensis cum veteri editione, *Abimelech*; et paulo post, *ad munditiam corporis*.

³ Falso legerant hactenus editi, *Quomodo ipse ad patris exequias, ita pater ad eam jubetur accedere*. Genuinam lectionem ex Veronensi, et S. Crucis mss. restitui, quibus Casanatensis paulisper suffragatur. Vide Levit. xxi, 1 et seqq. Gravius quoque calculum addit, qui sanctum in verbo *accedere* differt pro *incedere*.

⁴ Mss. *ause*, quod idem est. Hanc tantulam nominis differentiam reprehendit Hieronymus in psalmum lxxvi, versu ultimo. Ejusdem est generis illa quam supra ex iisdem mss. notavimus *Aunam* pro *Onam*. Paulo post in Casanatensi vocabulum *nuptiarum* desideratur.

⁵ Quam supra innuit num. 41, de præputio sententiam, constanter urget. Et in Isa, lxi: « Neque enim, inquit, potestatis nostræ est præputium ad-

ducere post circumcisionem, juxta eos qui in Machabæorum libro dicuntur sibi fecisse præputia. » Hausi autem ex Origen. lib. iv *περί Ἀρχῶν*, c. 2. tametsi Philocaliæ, c. 1, plures exstitisse non diffiteatur, qui ut circumcisionis difformitatem celarent, cutem medicis artibus superinducerent. Certe circumcisionem obducendi ratio antiquis ignota non fuit; nam et Rabbini ipsi tradunt ab Esau primum usurpatam ut ab Abrahami, ac Jacobi religione omnino descisceret, tum ab Israelitis, de quibus nunc sermo est, in deserto sub Josue, ut iterum illos circumcidi oporteret. Probant vero etiam exempla certissima in Scripturis, ac testimonia Ehipanias quoque de mensuris et ponderibus: Τέχνη τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστήρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες ἀκροβυστίαν αὐθις αὐτὴν ἀποτελοῦσι. Artem ipse docet Cornelius Celsus, alique ex medicis; minime vero dubitant hac de re interpretum doctissimi.

calceamentum tuum ¹ *Locus enim in quo stas, terra sancta est* (Exod. III, 5). Quia sic erat Domini armatus exercitus in tubis sacerdotalibus, quasi ad evangelicam prædicationem sub typo Jericho mundus subvertitur. Et ut infinita præteream (neque enim nunc mihi propositum est omnia veteris Testamenti aperire mysteria), quinque reges, qui in terra repromissionis ante regnabant, resistebantque evangelico exercitui (Al. exercitu), Jesu pugnante, superantur (Josue x). Hoc puto intellectu esse perspicuum, quod antequam Dominus populum suum educeret de Ægypto, et circumcideret eum, visus, odoratus, gustus, auditus, tactusque regnaverint, et his quasi principibus fuerint universa subjecta. Quos Jesus ad speluncam corporis confugientes, et ad tenebrosum locum, ipsum ingediens corpus ² interfecit: ut per id occiderentur, per quod ante regnabant.

22. *Moyses Legem significat. Vicenarius numerus infaustus. Belphegor apud Hebræos est Priapus. Jesus non plangitur moriens.*— Verum jam tempus est, ut castitatis Jesu vexillum levemus. Moyses scribitur habuisse uxorem. Moysen autem et Dominus noster, et Apostolus interpretantur legem: *Habent Moysen et prophetas* (Luc. XVI, 29). Et: *Ab Adam usque ad Moysen regnavit peccatum, etiam super eos qui non peccaverunt, in similitudine prævaricationis Adæ* (Rom. V, 14): nullique dubium est, in utroque testimonio Moysen legem significare. Sicut ergo legimus quod Moyses, id est, lex habuerit uxorem ³, ostende mihi Jesum Nave vel uxorem habuisse, vel filios: et si potueris monstrare, victum me esse fatebor. Et certe pulcherrimum terræ Judææ in partitione accepit locum, moriturque, non in vicenario numero, qui semper in Scripturis infaustus est, in quo servivit Jacob, et venditus est Joseph, et quem diligit Esau accipiens in eo quædam munera, sed in decimo, de cujus laude crebro diximus; sepeliturque in *Thamath sare*, id est, in *perfectissimo principatu*, sive in **272** numero *operimenti novi*: ut virginum significaret greges, Salvatoris auxilio coopertos in monte Ephraim, hoc est, in monte *frugifero*, ab aquilone montis *Gaas* [mss. Gaes], qui interpretatur *commotio*: *Mons enim Sion, latera aquilonis, civitas regis magni* (Psal. XLVII, 3), quæ opposita semper invidiæ est, et per singulas tentationes dicit: *Mei vero pene moti*

¹ Vetus editio et mss. nostri omnes, *Solve corrigiam calceamenti tui*, etc.

² Locum emendavimus trium mss. auctoritate. Antea legebatur: *Tenebrosus locus, id est ipsum ingredienti corpus*, aut nullo, aut depravatissimo sensu; innuit modo ut vides, et comparat cum Josue quinque regnum victore incarnationis Domini mysterium, ejusque victoriam de sensibus. Vide Josue x, 20.

³ Hæc ex Tertulliano sumpsisse Hieronymus videatur; libro enim *de Monogamia*, c. 6: « Secundus (inquit ille) Moyses (nempe Jesus Nave) populi secundi, qui imaginem nostram in promissionem Dei

sunt pedes (Psal. LXXII, 2). Cumque in sepultura Jesu, liber qui ex nomine ejus appellatur, expletus sit; rursus in Judicum volumine, quasi vivens resurgensque describitur: et sub ἀνακεφαλαίωσε opera ipsius prædicantur: et legitur, *Misit Jesus populum, et abierunt filii Israel, unusquisque in hæreditatem suam, ut possiderent terram* (Josue, XXIV, 28). Et, *Servivit populus Domino cunctis diebus Jesu* (Ibid. 34), et cætera. Statim subjungitur: *Et mortuus est Jesu Nave servus Domini centum decem annorum* (Ibid. 29). Porro Moyses vidit tantum terram repromissionis, et intrare non potuit, *et mortuus est in terra Moab, et sepelivit eum Dominus in valle terræ Moab contra domum Phogor, et non cognovit vir sepulcrum ejus usque in diem hunc* (Deut. XXXIV, 5, 6). Comparemus utriusque sepulturam: Moyses in terra Moab moritur, Jesus in terra Judææ. Ille sepelitur in valle contra domum Phogor, quod interpretatur *ignominia* (proprie quippe Phogor lingua hebræa Priapus appellatur); hic in monte Ephraim ab aquilone montis Gaas. Et est in verbis simplicibus semper divinarum Scripturarum sensus angustior. Quia apud Judæos gloria erat in partibus et parturitionibus; et maledicta sterilis, quæ non habebat semen in Israel; et beatus cujus erat semen in Sion, et domestici in Jerusalem: et in benedictione maxima ponebatur, *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivæ in circuitu mensæ tuæ* (Psal. CXXVII, 3: idcirco sepulcrum ejus positum in valle describitur contra domum idoli, quod proprie libidini consecratur. Nos autem qui militamus sub Jesu duce, usque ad præsentem diem ignoramus ubi Moyses sit sepultus. **272** Contemnimus enim Phogor [Al. Phegor], et omnem ignominiam ejus, scientes quod qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Et Dominus ante diluvium quoque dixerit: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. VI, 3). Quamobrem et Moyses moriens plangitur a populo Israel: Jesus autem quasi victurus non plangitur. Nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari.

23. *Jephte temerarii voti arguitur. Sacerdotes plurimi uxorati. Levitarum habitus. Error Eucratitarum.*— Samson quoque producit in medium, nec decalvatum quondam Domini Nazaræum a

induxit, in quo primo nomen Domini (nempe Jesus) dedicatum est, non fuit digamus. ⁴ Ulterius tamen progreditur noster Hieronymus, qui agamum et virginem facit. Sententiam hanc ejus probat epistola interpolata S. Ignatii ad Philadelphenos.

⁴ Veronensis, *Et sepeliverunt eum in valle in terra Moab*; juxta versionem τῶν LXX, καὶ ἐθαψαν αὐτὸν; ex Hebræo tamen hunc locum citare videtur Hier. etiamsi ambiguum illi sensum, ויקרב אתו בגי, *et sepelivit eum in valle*, addita voce *Dominus*, hic exaggeret, quam nec Vulgata, neque ipsa Hieronymi versio habent. Vid. epist. 39, n. 3, et 60, n. 6.

muliere considerat; qui licet typum teneat [Salvatoris, quod meretricem ex gentibus adamarit Ecclesiam: et multo plures hostium moriens, quam vivus occiderit: tamen conjugalis pudicitiae exempla non praebet. Et certe iste est secundum prophetiam Jacob (*Gen. XLIX, 17*), qui cum concitus equi pernecitate ferretur, a serpente percussus, retrorsum cecidit. Debboram autem et Barach, et uxorem Aber [mss. Chaber] Cynei cur enumeraverit, prorsus non intelligo: cum aliud sit bellorum principes et historiae ordinem texere: aliud figuras aliquas significare conjugii, quae in istis omnino non comparent. Porro quod praefert Jephthe patris fidem lacrymis virginis filiae, pro nobis facit. Et nos enim non tam virgines saeculi, quam eas quae propter Christum sunt virgines, praedicamus: et a plerisque Hebraeorum reprehenditur pater voti temerarii, qui dixerit: *Si tradens tradideris filios Ammon in manibus meis, quicumque exierit de domo mea in occursum mihi, cum reverti cepero in pace a filiis Ammon, erit Domino, et offeram illum holocaustum (Judic. XI, 30, 31)*. Si carnis (inquiunt), si asinus occurrisset, quid faceret? Ex quo volunt Dei dispensatione esse factum ut qui improspecte voverat, errorem votorum in filiae morte sentiret. Si autem Samuel nutritur in tabernaculo duxit uxorem, quid hoc ad praedictum virginitatis? Quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia; et Apostolus, episcopum describat unius uxoris virum, habentem filios cum omni castitate (*I Tim. III, 2*). **274** Simulque noscendum, quod Samuel Levita, non sacerdos², non pontifex fuerit. Unde et faciebat illi mater sua *Ephod bad*, superhumeralis videlicet lineum (*I Reg. II, 18*), qui habitus proprie Levitarum et minoris est ordinis. Unde et in Psalmis non nominatur inter sacerdotes, sed inter eos qui invocant nomen Domini: *Moyses³ et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus (Psal. XCIII, 6)*. Levi enim genuit Caath, Caath genuit Aminadab, Aminadab genuit Chore, Chore genuit Assir, Assir genuit Helchana, Helchana genuit Sub, Sub genuit Tou, Tou genuit Eliu, Eliu genuit Jeroam, Jeroam genuit Helchana, Helchana genuit Samuelem. Nullique dubium est sacerdotes de Aaron et Eleazar et Phinees stirpe generatos.

¹ Casanatensis cum Veronensi quia dixerit; hic vero mox *Omnibus quicumque exierit*, etc.

² Qui huic Hieronymianae assertioni, sacerdotium a Samuele abjudicantis, adversantur veteres scriptores aliquot, eo videntur accipiendi sensu, ut de sacerdotum ordine ac specie, ut ita dixerim, Levitam intelligant. Sic noster Zens tract. 16, n. 14, *Samuel*. inquit, *egregius ille sacerdos*, etc. Verum Josephus vetus Christianus auctor Hypomnestic. cap. 7: *Τίνας οἱ τοῦ Σαμουὴλ πρόγονοι ἱερατικοί: Quinam fuerunt Samuelis progenitores ex sacerdotali genere*, quaerens ita censet: « Primus Core qui Moysis tempore seditionem movit. Secundus, filius hujus Elkana, Tertius Exaud. Quartus Eliud. Quintus Tevaam. Sextus Elkana, Septimus Samuel, ex quo nati duo filii qui patria successione indigni iudicati sunt. » Locum exscripsimus ut cum pro-

A Qui cum et ipsi uxores habuerint, recte nobis opponerentur, si errore Encratitarum ducti, contenderemus matrimonia reprobanda: et non esset noster Pontifex secundum ordinem Melchisedec sine patre, sine matre, ἀναγενεαλόγητος, hoc est, sine nuptiis. Et revera magnos fructus ex liberis Samuel capit: ut quia ipse placuit Deo, tales genuerit, qui Domino displicerent. Quod si Booz et Ruth nobis objicit ad comprobendam digamiam, sciat in Evangelio ob typum Ecclesiae, etiam Raab meretricem in ordinem majorum Domini enumeratam.

34. Quare David sanguinarius vir. Quando extruxit Salomon templum. — Porro quod David ducentis praeputiis emisse jactat uxorem, noverit illum et alias habuisse quamplurimas. et Michol filiam Saul, quam pater alteri tradiderat, postea recepisse, et jam senem Sunamitidis puellae calefactum esse complexibus. Nec hoc dico, quod sanctis viris quidquam detrahere audeam; sed quod aliud sit in lege versari, aliud in Evangelio. Ille occidit Uriam Hethaem [*Gethaem juxta LXX*] mæchus exstitit in Bethsabee. Et quia erat vir sanguinarius, non (ut plerique existimant⁴) propter bella, sed propter homicidium, templum Domini aedificare prohibetur. Nos autem si unum de minimis scandalizaverimus, et si fratri dixerimus *Raca*, et non recta [*Al. recte*] **275** viderimus, expedit ut mola asinaria ligetur circa collum nostrum, et rei erimus gehennae, et adulterium in solo nobis aspectu reputabitur. Transit ad Salomonem, per quem se cecinit ipsa sapientia; et cum uxorem eum dicat, atque in illius laudibus immoretur, miror cur non jungat et illud de Cantico canticorum: *Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae; et adolescentulae, quarum non est numerus (Cant. VI, 7)*. Et illud de Regum tertio, *Quod septingentas habuerit uxores, et trecentas concubinas, et alias innumerabiles (III Reg. XI, 3)*. Hæ nempe sunt, quae averterunt cor ejus a Domino: et tamen antequam plures haberet uxores, et carnis vitiiis laboretur, in principio regni et adolescentiae extruxit Domino templum. Unusquisque enim non de futuris, sed de praesentibus judicatur. Quod si Salomonis exempla ei placent, jam non digamus erit et trigamus; sed nisi septingentas habuerit uxores, et trecentas concubinas,

D posita abs Hieronymo genealogia tute conferas.

³ Amovi hinc voculam *inquit*, quae in mss. non habetur. Paulo ante Casanatensis *Non numeratur pro Non nominatur*.

⁴ Hæc ferme Hebraeorum opinio est, sanguinem ex quo impar reddebatur David ad templum Domino aedificandum, illum fuisse innocentis Uriæ, in quam et Hieronymus abit. Veteres autem, recentioresque hanc unam, quam ille improbat, causam agnoscunt, nimirum *propter bella*. Vid. Josephum *Antiq. l. VII, E. 41*; Eusebium, *Pæpar. l. IX, c. 30*; quin immo ipsam Scripturam *l. Paralip. XVII, 8: Multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti*, dicitur ad Davidem. Accedit ordo temporis quo David ante patratam Uriæ necem aedificandi templi consilium ceperat.

typum ejus et meritum implere non poterit. Obsecro te, lector, et id ipsum sæpe commoneo, ut scias me, quæ loquor, necessitate dicere : nec detrahere his qui in lege præcesserint, sed servisse eos temporibus et conditionibus suis, et illam Domini implere sententiam : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (Gen. 1, 28) ; et quod his majus est futurorum typos præbuisse. Nobis autem, quibus dicitur : *Tempus in collecto est, superest, ut qui habent uxores, sic sint quasi non habeant* (I Cor. VII, 29), aliud præcipi, et virginitatem a Salvatore virgine dedicari.

25. *Norma Scripturarum, Probat Susannæ historiam.* — Eliam et Elisæum quam stulte in catalogo posuerit maritorum, me tacente, manifestum est. Si enim Joannes Baptista venit in spiritu et virtute Eliæ, et Joannes virgo est ; utique non solum in spiritu ejus venit, sed etiam in corporis castitate. Porro illud quod de Ezechia commemorari potest, quanquam hoc ille solita stoliditate non viderit, quod post vitam recuperatam, et quindecim annorum spatia protelata, dixerit : *Amodo filios faciam* ; sciat in Hebræis voluminibus non haberi, sed legi pro hoc : ¹ *Pater filiis notam faciet veritatem tuam* (Isa, xxxviii, 19). Nec mirum si Olda uxor Sellum prophetissa consulatur [Al. consolatur] ab Josia rege Judæ, jam captivitate vicina, et ira Domini stillante super Jerusalem : cum hæc norma sit Scripturarum, ut ² deficientibus viris sanctis, mulieres in virorum laudentur opprobria. Superfluum autem est de Daniele dicere cum Hebræi usque hodie autement, et tres pueros fuisse enuchos, ex illa Dei sententia, quam Isaias loquitur ad Ezechiam : *Et de filiis tuis, qui nascentur ex te, tollent et facient eunuchos in domo regis* (IV Reg. xx. 18). Rursusque in Daniele legimus : *Et dixit rex Asphane principi eunuchorum, ut introducere de filiis captivitatis Israel, et de semine regio et de phorthommim* [Al. phortemmim] ³ *pueros, in quibus non esset macula, pulchros facie, et intelligentes sapientiam* (Dan, 1, 3, 4). Et argumentatur, si de semine regio electi sunt Daniel et tres pueri ; de semine autem regio eunuchos fore Scriptura prædixit, hos esse qui eunuchi facti sunt. Si vero et illud opposuerit ⁴, quod in Ezechiele dicitur (cap. xiv, 14), Noe et Daniel et Job in terra peccatrice filios et filias liberare non posse, respondendum est, quod juxta hypothesim dictum sit. Nec enim eo tempore Noe et Job erant quos multis ante sæculis fuisse cognovimus. Et est sensus ⁴ : Si tales et tales viri fuerint in terra peccatrice, filios suos et filias libe-

A rare non poterunt ; quia justitia patris non liberabit filium, nec peccatum alterius alteri imputabitur. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur* (Ezech. xviii, 4). Sed et hoc dicendum, Danielem juxta historiam libri ejus, cum Joachim rege captum eo tempore, quo Ezechiel quoque ductus est in captivitatem. Quomodo ergo potuit habere filios, qui adhuc puer erat ? et expleto triennio, introductus est ad regis obsequium. Ac ne quis putet Ezechiel jam viri meminisse Danielis, et non pueri : *Factum est, inquit, in anno sexto, regis scilicet Joachim, in mense sexto, in quinta mensis* (Ezech. viii, 1) ; *Et, Ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant coram me* (Ibid.), Atque in eadem die ad eum dicitur, *Si fuerint Noe, et Daniel et Job* (Ibid. xiv, 14). Erat igitur Daniel adhuc puer, et notus populo, vel propter interpretationem somniorum regis, vel propter Susannæ liberationem, et occisionem ⁵ presbyterorum. Et perspicue comprobatur, eo tempore quo hæc dicebantur de Noe et Daniele et Job, adhuc puerum fuisse Danielem nec potuisse habere filios et filias, quos sua justitia liberaret. Huc usque de lege.

²⁷⁷ 26. *Evangelium non est ante Christi crucem. Mulieres Judæorum ministrabant magistris alimenta. Joannes evangelista virgo; ordinem ætatis commendat; quo tempore mortuus; privilegia ejus.* — Venit ad Evangelium, et proponit nobis Zachariam et Elisabeth, Petrum et socrum ejus, et consueta vecordia non intelligit istos quoque inter eos, qui legi servierint, debuisse numerari. Neque enim Evangelium ante crucem Christi est, quod passione et sanguine ipsius dedicatur. Juxta quam regulam Petrus et cæteri apostoli, ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem [Al. quidam] uxores sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant. Qui assumpti postea in apostolatam, relinquunt officium conjugale. Nam cum Petrus ex persona apostolorum dicit ad Dominum : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* ⁶ (Matth. xix, 27), respondit ei Dominus, *Amen dico vobis, quoniam nemo est qui dimiserit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in sæculo isto, et in sæculo futuro vitam æternam* (Ibid. 28) Si autem nobis illud opposuerit ad probandum, quod omnes apostoli uxores habuerint, *Numquid non habemus potestatem mulieres vel uxores circumducendi* (quia γυνή apud Græcos ⁷ utrumque significat) *sicut cæteri apostoli, et Cephas, et fratres Domini* (I Cor. ix, 5), jungat et illud quod in Græcis codicibus est : *Numquid non habemus*

¹ Casanatensis : « Notam faceret voluntatem tuam. »

² Idem cum veteri editione, « Et de tyrannorum pueros : » al. pueris. Paulo supra pro Asphanex duo mss. Asphanexech.

³ Nota hunc locum.

⁴ Veronensis et S. Crucis, *Et est semel, pro sensus.*

⁵ Casanatensis cum ipso Veronensi, *propter Susannæ historiam et occasionem, etc.*

⁶ Tres mss. *Ecce nos omnia nostra relinquentes, secuti sumus te* ; qui et paulo infra vocem *Apostoli* non agnoscunt.

⁷ Tertullianus, de Monogamia, « Penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres et uxores. »

potestatem sorores mulieres, vel uxores circumducendi? Ex quo apparet eum de aliis sanctis dixisse mulieribus, quæ juxta morem Judaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam et ordo verborum hoc significat: *Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi, aut sorores mulieres circumducendi* (Ibid. 3, 5)? Ubi de comedendo et bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, et de mulieribus sororibus infertur¹, perspicuum est, non uxores debere intelligi, sed eas, ut diximus, quæ de sua substantia ministrabant. Quod et in veteri lege de Sunamitide illa scribitur, quæ solita sit Elisæum recipere, et ponere ei mensam, et panem, et candelabrum, et cætera. Aut certe si γυναῖκας, uxores, accipimus non mulieres id quod additur, serores, tollit uxores, et 278 ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non conjuges². Quanquam, excepto apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis apostolis quod uxores habuerint; et cum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet. Et tamen ille qui nobis objecit Zachariam et Elisabeth, Petrum et socrum ejus, sciat, de Zacharia et Elisabeth Joannem fuisse generatum, id est, de nuptiis virginem, de lege Evangelium, de matrimonio castitatem ut a propheta virgine virgo Dominus et annuntiaretur, et baptizaretur. Possumus autem de Petro dicere, quod habuerit socrum eo tempore quo credidit, et uxorem jam non habuerit. quanquam legatur³ in περιόδοις et uxor ejus, et filia. Sed nunc nobis de canone omne certamen est. Et quia ad apostolos provocavit, quod principes disciplinæ nostræ, et Christiani dogmatis duces, virgines non fuerint, ut eos interim virgines concedamus non fuisse (neque enim hoc præter Petrum probari potest) noverit hos esse apostolos, de quibus Isaias vaticinatur: *Nisi Dominus Sa-*

¹ Ibidem mss. Sic infertur.

² Casanatensis, *In spiritu fuisse conjuges.*

³ Legatur in περιόδοις. Periodos attribuit Clementi supra in cap. 1 Epist. ad Galat. dicens de Petro: « An, ut Clemens in periodis ejus refert, calvitiam haberet in capite. » MARTIAN. — Memoratur quidem uxor Petri *Recognitionum* lib. VII et libro IX, minime vero filia. Quare diversum fortasse ab edito exemplar habuisse præ manibus S. Doctorem suspicamus. Cæterum innuit hoc loco, ut videtur, dimissam a Petro uxorem, postquam credidisset. Certe idem statuit in epist. 118, n. 4, ad Julianum, ubi eam, *cum navicula et reti dereliquisse* tradit.

⁴ Vetus editio *ex quo, et, quod ipse interrogare;* denique infra cum optimis mss., *Virginem recognoscit, pro agnoscit.*

⁵ *Quid ad te, si, etc.* Similis hic error antiquorum librariorum est, ejus qui irrepsit in contextum Evangelicum Joannis. *Sic eum volo manere, etc.* Nam in tribus mss. codicibus hoc modo legitur: *Quid ad te? sic eum volo esse; pro genuina lectione, Si eum volo sic esse.* MARTIAN. — Ita præferunt nostri omnes mss. et vetus quoque editio concinit: *Si volo eum esse, quid ad te?* Non tamen inficiamur jam diu olim in Joannis Evangelio librariorum

baath reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, et similes Gomorræ fuissemus (Isa. 1. 9). Qui ergo erant ex Judæis, virginitatem quam in Judaismo amiserant, in Evangelio habere non poterant. Et tamen Joannes unus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideo plus amatur a Domino, et recumbit super pectus Jesu. Et quod⁴ Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat ut interroget. Et post resurrectionem nuntiante Maria Magdalene quod Dominus resurrexisset, uterque cucurrit ad sepulcrum; sed ille prævenit. Cumque essent in navi et piscarentur in lacu Geneareth, Jesus stabat in littore, nec sciebant apostoli quem viderent; solus virgo virginem agnoscit, et dicit Petro: *Dominus est.* Rursum post auditam sententiam, quod ab alio cingendus esset Petrus, et ducendus quo 279 nollet, et crucis fuisset illi passio prophetata, et ille diceret: *Domine, quid iste* (Joan. XXI, 21)? nolens deserere Joannem, cum quo semper fuerat copulatus, dicit ei Dominus: *Quid ad te⁵ si eum volo sic esse* (Ibid. 22)? Unde et sermo exivit inter fratres, illum discipulum non moriturum. Ex quo ostenditur virginitatem non mori, nec sordes nuptiarum abluere⁶ cruore martyrii, sed manere cum Christo, et dormitionem ejus transitum esse, non mortem. Si autem obnixè contenderit Joannem virginem non fuisse, et nos amoris præcipui causam virginitatem diximus, exponat ille, si virgo non fuit, cur cæteris apostolis plus amatus sit? At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat⁷, et cuncti claves regni cælorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur tamen propterea inter duodecim unus oligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Joannes electus est virgo? *Ætati delatum est, quia Petrus senior erat,*

errore obtinuisse. *Sic eum volo manere, etc.*, quod etiam in Hieronymianis aliquot mss. Martianæus invenit. Vide quæ ad eum locum Evangelii adnotamus.

⁶ Pro *abluere*, quod præferunt mss. Martianæus aliique antea editores *ablui* legunt, sensu non satis congruo.

⁷ Videatur Hieronymus, Joannis apostoli, ex eo quod virgo perstiterit, meritum præferre cæteris: attamen Ecclesiæ caput a Domino constitutum fuisse non Joannem, sed Petrum, minime diffitetur. Imo hisce verbis definite declarat, apostolos quidem cæteros honore simul et potestate pares fuisse Petro, quia omnes pariter a Christo evangelizandi, ligandi, ac solvendi facultatem acceperunt, omnium tamen caput unum Petrum exstitisse, quam potestatis discretionem vocat S. Leo M. epist. 12, n. 14: *Inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret.* » Hæc obiter in eorum gratiam, qui Hieronymi locum hunc cavillantur. Cæterum vide Gelasium papam tractatu 4, n. 5, et de perpetua Joannis virginitate S. Augustinum lib. *de Bono conjugali*, c. 21, n. 26, etc.

ne adhuc adolecens ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur, et magister bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, et qui dixerat eis : *Pacem meam do vobis pacem relinquo vobis* (Joan. xiv, 27) ; et, *Qui voluerit inter vos major esse, minimus omnium sit* (Matth. xx, 27), in adolescentem quem dilexerat, causam præbere videretur invidiæ. Ut autem sciamus Joannem tunc fuisse puerum, manifestissime docent ecclesiasticæ historiæ, quod usque ad Trajani vixerit imperium, id est, post passionem Domini sexagesimo octavo anno dormierit : quod et nos in libro *de Illustribus Viris* ¹ breviter perstrinximus. Petrus apostolus est ; et Joannes apostolus, maritus, et virgo, sed Petrus apostolus tantum ; Joannes et apostolus et evangelista, et propheta. Apostolus, quia scripsit ad Ecclesias ut magister ; evangelista quia ²⁸⁰ librum Evangelii condidit, quod excepto Matthæo, alii ex duodecim apostoli non fecerunt. Propheta : vidit enim in Pathmos insula, in qua fuerat a Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem. Refert autem Tertullianus, quod Romæ ² missus in ferventis olei dolium, purior et vegetior exiverit, quam intraverit. Sed et ipsum ejus Evangelium multum distat a cæteris. Matthæus quasi de homine incipit scribere : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (Matth. i, 1) ; Lucas a sacerdotio Zachariæ (Luc i, 5) ; Marcus a prophetia Malachiæ prophetæ ³, et Isaïæ. Primus habet faciem hominis, propter genealogiam secundus faciem vituli, propter sacerdotium ; tertius faciem leonis, propter vocem clamantis in deserto : *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (Marc. i, 2), Joannes vero noster quasi aquila ad superna volat, et ad ipsum Patrem pervenit, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* (Joan. i, 1, 2), et cætera. Exposuit virginitas, quod nuptiæ scire non poterant, et ut brevi sermone multa comprehendam, doceamque cujus privilegii sit Joannes, imo in Joanne virginitas, a Domino virgine, mater virgo (Joan. i, 1, 2) virgini discipulo commendatur.

27. *Maternæ virginitatis amissio, compensata virginitate filiorum.* — Verum casso labore sudamus. Objicit quippe nobis adversarius Apostolicam sententiam, et ait : *Adam primus formatus est, deinde Eva, et Adam non est seductus ; mulier autem seducta in prævaricationem facta est. Salva autem*

¹ In libro *de Illustribus Viris*. Ex hoc loco manifestissime comprobamus librum *de Scriptoribus Ecclesiasticis* scriptum fuisse ac editum antequam Hieronymus scriberet adversus Jovinianum. MARTIAN.

² *Quod Romæ*. Pro *Romæ*, plures mss. codices legunt a Nerone. MARTIAN. — Mss. omnes et vetus editio quod a Nerone missus, etc. Tertullianus, *de Præscriptionibus*, cap. 36 : « Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil pas-

si fiet per filiorum generationem, si permanserint in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate (I Tim. ii, 12-15). Consideremus cur Apostolus ad hanc sententiam, et unde pervenerit : *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes sanctas manus sine ira et cogitationibus* (Ibid. 8). Consequenter itaque mulieribus ²⁸¹ dat præcepta vitæ, et ait : *Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et castitate, ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro vel margaritis sive veste pretiosa : sed secundum ⁴ quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona, Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum ? sed esse in silentio* (Ibid. 9 seqq.). Et ne videretur mulieris dura conditio, quæ eam in mariti redigeret servitutem, legis recordatur antiquæ et ad originale exemplum redit : quod Adam primus factus sit, deinde mulier ex costa ejus ; et quod Adam diabolus seducere non potuerit, sed Evam ; et quod post offensam Dei statim viro subjecta sit, et ad maritum illius facta conversio ; quodque errorem veterem illa quæ semel connubio copulata est, et redacta in conditionem Evæ, filiorum procreatione deleteret ; ita tamen, si ipsos filios erudiret in fide et dilectione Christi, et in sanctificatione et pudicitia ; non enim (ut male habetur in Latinis codicibus) *sobrietas* est legenda, sed *castitas*, id est, σωφροσύνη. Vide igitur quomodo ex hoc quoque testimonio supereris, et quod putabas esse pro nuptiis, pro virginitate sentire cogaris. Nam si salvatur mulier in filiorum generatione, et liberorum numerus salus matrum est, cur addidit, *Si permanserint filii in charitate et sanctificatione cum castitate* ⁵ ? Tunc ergo salvabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sunt : si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, et damnum radicis et cariem, flore compensei et pomis.

28. *Vitia mulierum. Diabolus et filia ejus insatiabiles. Amor mulieris quid secum trahit ?* — Supra in transitu, ubi nobis adversarius proposuerat Salomonem multinubum, qui templum Dei extruxit, strictim responderam, ut per quæstiones reliquas currerem. Nunc ne clamitet et hunc et alios in lege patriarchas et prophetas et sanctos viros a nobis esse temeratos, proponamus hujus ipsius ⁶, qui multas uxores et concubinas habuit, de nuptiis voluntatem. Nemo enim melius scire potest quid uxor, ²⁸² vel mulier, illo qui passus est. Loquitur ergo in Proverbiis : *Mulier insipiens et audax, inops panis efficitur* (Prov. ix, 13.) Cujus pa-

sus est, in insulam relegatur. »

³ Expunximus hic vocem *Prophetæ*, quam mss. non agnoscunt.

⁴ Vocula *secundum* nec habent codices nostri, nec ipse Vulgatus interpres.

⁵ Tres mss., *permanserint filii in fide et charitate* etc. Græc. ἐν πίστει, quam vocem aliæ etiam textus editiones habent.

⁶ Plerique mss. *Proponamus huic ipsius, et De nuptiis voluptatem.*

nis? Nempe illius qui de cœlo descendit: statimque subjungit: *Terrigenæ apud eam pereunt, et in profundum inferni incurrunt (Ibid. 18)*. Qui sunt terrigenæ qui apud eam pereunt? Utique illi, qui sequuntur primum Adam, qui de terra est, et non secundum, qui de cœlo est. Et rursus in alio loco: *Sicut in ligno vermis, ita perdit virum suum uxor malefica (Prov. xxv, 20)*. Si autem asserveraveris hoc de malis conjugibus dictum esse, et ego tibi breviter respondebo: Quæ enim mihi incumbit necessitas venire in dubium, utrum bona an mala futura sit quam duxero? *Melius est, inquit, habitare in terra deserta, quam cum uxore litigiosa et iracunda (Prov. xxi, 9)*. Quam rarum sit uxorem sine his vitiis inveniri, novit ille qui duxit uxorem, Unde pulchre Varius Geminus¹ sublimis orator: « Qui non litigat, inquit, cœlebs est. » *Melius est habitare in angulo tecti, quam cum uxore maledica in domo communi (Prov. xxv, 24)*. Si domus communis mariti et uxoris origit uxorem in superbiam et contumeliam viro facit: quanto magis si ditior uxor fuerit, et in domo ejus vir manserit! Incipit enim non uxor esse, sed domina; et viro si offenderit, migrandum est. Stillicidia ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua, similiter et mulier maledica de propria domo (*Prov. xxvii, 15*). Assiduus quippe jurgiis et quotidiana garrulitate facit perfluere² domum ejus, et ejicit eum de ædibus suis, id est de Ecclesia. Unde et supra ab eodem Salomone præcipitur: *Fili ne superfluas*. Et Apostolus ad Hebræos. *Propterea inquit, debemus intendere amplius his quæ dicuntur, ne forte superfluamus (Hebr. ii, 1)*. Illud vero quis taceat, quod sub ænigmate scribitur? *Sanguisugæ tres filix erant dilectione dilectæ, sed istæ non saturaverunt eam, et quartæ non sufficit dicere satis: Infernus, et amor mulieris, et terra quæ non satiatur aqua, et ignis³ non dicit satis est (Prov. xxx, 15, 36)*. Sanguisuga diabolus est, diaboli filix sunt dilectione dilectæ. quæ satiari interfectorum²⁸³ cruore non possunt: *Infernus et amor mulieris, et terra arens, et exstians*. Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, sed amor mulieris generaliter accusatur, qui semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, et post copiam rursus inops est, animumque virilem effeminat, et excepta passione quam sustinet, aliud non sinit cogitare. Simile quid et in sequenti para-

¹ Varius Geminus, Altum apud auctores historicas silentium de isto Varo Gemino sublimi oratore. Quare nec ego soire possum, quis fuerit Varius Geminus; nec temeritate dicendi fingere volo oratorem nescio quem apud grammaticos divinatores futurum forsitan aliquando celeberrimum. Fuit porro Varius alius poeta tragicus, Virgilii et Horatii familiaris: nec non alter poeta hujus nominis, cujus meminit Virgilius, Vide Horat lib. 1. *Serm.*, sat. 5, et alibi. MARTIAN. — Varius Geminus sublimem oratorem tam sæpe memorat Seneca in Suasoriis et Controversiis, ut Martianæum mirer asserentem altum apud auctores et historicos de illo silentium esse. Porro Gravius festivum quoddam Epigramma in ejus sententiam affert: « Heus, viator, miracu-

A bola legimus: *Per tria movetur terra, quartum autem non potest ferre [mss. ferri]: si servus régnat, et stultus si saturetur panibus, et odiosa uxor si habeat bonum virum, et ancilla si ejiciat dominam suam (Ibid. 21 seqq.)*. Ecce et hic inter malorum magnitudinem uxor ponitur. Quod si responderis, sed uxor odiosa, dicam tibi quod et supra. Atqui hoc periculum in memet fieri⁴ grave est. Qui enim ducit uxorem, in ambiguo est, utrum odiosam, an amabilem ducat. Si odiosam duxerit, ferri non potest. Si amabilem, amor illius inferno et arenti terræ, et incendio comparatur.

29. *Sapientia carnis et spiritus. Boni creati sumus a Deo: vitio nostro lapsi.* — Veniamus ad Ecclesiasten, de ipso quoque pauca testimonia ponentes: *Omnibus tempus est, et tempus omni rei sub cœlo. Tempus pariendi, et tempus moriendi, tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est (Eccle. iii. 1 seqq.)*. Peperimus in lege cum Moyse, moriamur in Evangelio cum Christo. Plantavimus in nuptiis, evellamus per pudicitiam quod plantatum est. *Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexu. Tempus amandi, et tempus odiendi. Tempus belli et tempus pacis (Ibid. 5, 8)*. Simulque nos commonet, ne legem Evangelio præferamus; nec puritatem virginitatis, nuptiis putemus æquandam: *Meliora sunt dicens, novissima sermonis, quam initium ejus (Eccle. vii, 9)*. Statimque subjungit: *Ne dixeris, quid factum est, quia dies priores meliores erant, quam hi? Quia non sapienter interrogasti de hoc (Ibid. 11)*; et reddit causam quare dies posteriores meliores sint quam priores: *Quia bona, inquit, est sapientia cum hæreditate (Ibid. 12)*. In lege enim sapientiam carnis, mors sequebatur occidens; in Evangelio sapientiam spiritus, hæreditas expectat æterna: *Ecce hoc inveni, dicit Ecclesiastes, hominem unum de mille inveni, et mulierem in his omnibus non inveni. Verumtamem reperi quod fecit Deus 284 hominem rectum: et ipsi quæsierunt cogitationes malas (Ibid. 28-30)*. Rectum hominem invenisse se dicit. Considera vim verbi. In hominem, et vir et femina continetur. *Et mulierem inquit, in his omnibus non inveni*. Legamus principium Geneseos, et inveniemus Adam, hoc est hominem, tam virum quam feminam⁵ nuncupari. Cum ergo boni creati simus et recti a Deo, ipsi vitio nostro sumus ad pejora delapsi; et quod in

lum hic; vir et uxor non litigant. »

² Mss. ut videtur, rectius, et *perfluere* et paulo post *perfluas*, et, *perfluamus*, pro *superfluas*, et *superfluamus*.

³ Ibidem, *Non dicent satis est*; juxta Græc οὐ μή ἐπιπρωσιν; tum præposita si particula, cum veteri editione, si *sanguisuga*.

⁴ Pro *atqui hoc periculum in memet fieri*, etc. nostri codices fortasse correctoris manum experti, *At hoc periculum imminet, fieri*. Terentius in *Andria*:

At illud periculum in filia fieri grave est.

⁵ Reposuimus e mss. et veteri editione *feminam pro mulierem*.

paradiso rectum in nobis fuerat, egredientibus de paradiso depravatum est. Quod si objeceris, antequam peccarent, sexum viri et feminæ fuisse divisum, et absque peccato eos potuisse conjungi, quid futurum fuerit incertum est. Neque enim Dei possumus scire judicia, et ex nostro arbitrio illius sententiæ præjudicare. Hoc quod factum est, in propatulo est, quod qui in paradiso virgines permanserunt, ejecti de paradiso copulati sunt. Aut quid nocebat, si paradisi nuptias recipit, et nulla est inter maritatem¹ virginemque diversitas, etiam in paradiso eos ante sociari? Ejiciuntur de paradiso; et quod ibi non fecerunt, in terra faciunt, ut statim a principio conditionis humanæ virginitatem paradisi, et terra nuptias dedicaverit. *In omni tempore sint vestimenta tua candida* (Eccle. ix, 8). Candor vestium sempiternus, virginitatis est puritas. In matutino seminavimus semen nostrum et ad vesperam non cessemus. Qui servivimus in lege nuptiis, virginitati in Evangelio servivimus.

30. *Canticum canticorum non significat amorem carnis.* — Transeo ad Canticum canticorum, et quod adversarius totum putat esse pro nuptiis, virginitatis continere sacramenta monstrabo. Audiamus quid loquatur sponsa, antequam sponsus ejus ad terras veniat, patiat, inferos penetret, ac resurgat. *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti quoadusque rex in accubitu suo est* (Cant. i, 10, 11). Antequam resurgeret Dominus, et Evangelium coruscaret, non habebat aurum sponsa, sed similitudines auri. Argentum autem quod in nuptiis habere se pollicetur, habebat varium atque distinctum in viduis, continentibus, ac maritatis. Deinde sponsus respondet ad sponsam, et eam docet quod veteris legis umbra transierit, et veritas Evangelii venerit. **¶** *Surge, veni, proxima mea², sponsa mea, quoniam ecce hiems transiit, pluvia abiit sibi* (Cant. ii, 10, 11). Hoc de veteri Testamento. Rursum de Evangelio et virginitate: *Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit* (Ibid. 12). Nonne tibi videtur idipsum dicere, quod et Apostolus: *Superest ut et qui habent uxores, sit sint quasi non habeant* (I Cor. vii, 29)? Et manifestius de præconio castitatis: *Vox, inquit, turturis audita est in terra nostra* (Cant. ii, 12). Turtur avis pudicissima, semper habitans in sublimibus, typus est Salvatoris. Legamus physiologos (Vide PLIN. lib. x, c. 34), et reperiemus turturis hanc esse naturam, ut si parem perdiderit, alteri non jungatur; et intelligemus digamiam etiam a multis avibus reprobari³. Statimque turtur dicit ad turturem;

¹ Iidem, veteri quoque editione assentiente. *Inter virginem maritumque diversitas.*

² Rursus idem mss. *Speciosa mea, columba mea*, etc.; consianter etiam intra, idque juxta Græcum καλή μου, ex quo itidem bis repetunt vocem abiit, ἀπῆλθεν, ἐπορεύθη.

³ Perperam hactenus edit., *multis pro mutis*, quod ex ingenio antea emendaveram, nunc Veronensis libri auctoritate confirmo, et Grævio etiam probari video.

A *Ficus protulit grossos suos* (Cant. ii, 13), id est, veteris legis præcepta ceciderunt, et de Evangelio vites florentes dederunt odorem. Unde et Apostolus: *Christi bonus odor sumus* (II Cor. ii, 15). *Surge, veni, proxima mea, sponsa mea, et veni. Tu columba mea in velamento petrae juxta promurale, et ostende mihi faciem tuam, et auditam fac mihi vocem tuam quoniam vox tua suavis, et facies tua speciosa* (Cant. ii, 13, 14). Dum vultum tuum tegeres cum Moyse et velamentum esset in lege, nec faciem tuam videbam, nec vocem tuam dignabar audire dicens: *Et si multiplicaveritis preces vestras* [Forte precem vestram], *nec sic exaudiam vos* (Isa. i, 15). Nunc autem revelata facie contemplare gloriam meam, et petrae firmissimæ tegere promurali. Quod audiens sponsa aperit sacramenta pudicitiae: *Fratruelis meus mihi, et ego illi qui pascit⁴ inter lilia* (Cant. ii, 16), hoc est, inter virginum candidissimos choros. Vis scire quale verus Salomon pacificus noster solium quales habeat armigeros. *Ecce, ait, lectus Salomonis sexaginta potentes in circuitu ejus de potentibus Israel, omnes tenentes frameam⁵, et docti bello, uniuscujusque viri gladius in femore ipsius* (Cant. iii, 7, 8). Qui in circuitu Salomonis sunt gladium habent in femore, sicut Aoth ille iudex ἀφοτεροδέξιος [scil. ambidexter] (Judic. iii, 5), qui interfecit hostem pinguissimum et totum carni deditum, omnes amputans voluptates. *Ibo⁶, inquit ad montem myrrhae* (Cant. iv, 6); ad eos scilicet qui mortificaverunt **¶** corpora sua; *et ad collem Libani, ad purissimos virginum greges, et loquar sponsæ meæ; Tota speciosa es, amica mea, et non est macula in te* (Ibid. 6, 7). Unde et Apostolus: *Et exhibeat, inquit, sibi sanctam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam* (Ephes. v, 27). *Veni a Libano, sponsa, veni a Libano. Venies, et pertransibis ab initio fidei, a capite Sanir et Hermon, a cubilibus leonum a montibus leopardorum* (Cant. iv, 8). Libanus λευκασμός, id est, candor interpretatur. Veni ergo, sponsa candidissima de qua alibi dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata* (Cant. viii, 5)? et transit per viam hujus sæculi; ab exordio fidei, et ex Sanir, quod interpretatur *deus lucernæ*, juxta illud quod in Psalmo legimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lux semitis meis* (Psal. cxviii, 105); et Hermon, id est, consecratione: et fuge leonum cubilia, et leopardorum montes, qui non possunt mutare varietatem suam. Fuge, inquit, cubilia leonum, fuge superbiam dæmonum, ut postquam mihi fueris consecrata, possim tibi dicere: *Vulnerasti cor*

⁴ Vetus editio, *pascitur*; mox Casanatensis. *Vis scire quales viros Salomon, et pacificus noster quale solium.* etc.

⁵ Mss. omnes, *Ferentes frameam, et docti bello viri, gladius in femore ejus*, juxta LXX. Grævius legi omnino vult, *vir*, eumque Hebraismum esse contendit.

⁶ Iidem mss., *Ibo, inquit, mihi ad montem*, etc.; denuo juxta Græcum πορεύσομαι ἐμυρῶν; atque iterum paulo post *proxima mea, pro amica mea*, πλησίον μου.

*meum*¹, *soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, in uno ornamento colli tui* (Cant. iv, 9). Quod dicit, hujuscemodi est. Non repudio nuptias, habes et sinistram oculum, quem tibi dedi propter imbecillitatem eorum, qui recta videre non possunt. Sed magis mihi dexter virginitatis oculus placet, qui si cæcatus fuerit, omne corpus in tenebris est. Ac ne putarem eum amorem carnis, et nuptias significare corporeas, illico excludit hunc sensum, et ait : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*. Ubi sororis nomen est, suspicio omnis fædi amoris excluditur. *Quam speciosa sunt ubera tua vino* (Cant. iv, 10), de quibus et supra dixerat : *Fratruelis meus mihi, et ego illi ; in medio uberum meorum Commorabitur* (Cant. i, 12) : in principali [ἡγεμονικόν] cordis, ubi habet sermo Dei hospitium. *Quam speciosa sunt ubera tua vino*. Quod istud vinum est, quod sponsæ mammas pulcherrimas facit, et pudicitie lacte fecundat ? Nempe illud, de quo Sponsus in consequentibus loquitur : *Bibi vinum meum cum lacte meo. Manducate, proximi mei, et bibite, et inebriamini, fratres* (Cant. v, 1). Unde et apostoli 287 dicebantur musto pleni ; *musto*, inquit (Act. ii, 13), non vino veteri ; quia vinum novum in utres novos mittitur (Matth. ix, 17) ; et non ambulabant in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus (Rom. vii, 6). Hoc est vinum quod cum inebriaverit adolescentes et puellas, statim virginitatem sitiunt ; et in crapulam castitatis eructant, et expletur illud vaticinium Zachariæ. duntaxat juxta Hebraicam veritatem de Ecclesiæ virginibus prophetantis : *Complebuntur infantibus et puellis ludentibus plateæ ejus* (Zach. viii, 5). *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines* (Zachar. ix, 17) ? Istæ sunt virgines, de quibus in quadragesimo quarto Psalmo scriptum est : *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, et exsultatione, Adducentur in templum regis* (Psal. xliv, 15, 16).

31. Sequitur : *Hortus conclusus, soror mea sponsa : hortus conclusus, fons signatus* (Cant. iv, 12). Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, matris et virginis. Unde et in sepulcro Salvatoris novo, quod in petra durissima (Al. purissima) fuerat excisum, nec ante, nec postea quisquam positus est. Et tamen hæc virgo perpetua multarum est mater virginum. Sequitur enim : *Emissiones tuæ paradisi malogranatorum cum fructu pomorum* (Cant. iv, 13). In malogranatis et pomis, omnium virtutum significatur in virginitate concentus², *Fratruelis meus candidus et rubicundus* (Cant. v, 10) ; candidus in virginitate, rubicundus in martyrio. Et quia rubi-

cundus et candidus est, idcirco statim additur, *guttur* [Al gustus] *ejus dulcedines, et totus concupiscentia* (Ibid.). Sponsus virgo, laudatus a sponsa virgine, laudat vicissim virginem sponsam, et dicit ei : *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis, filia*³ *Aminadab* (Cant. viii, 1), quod interpretatur, *populi se sponte offerentis*. Virginitas enim voluntaria est, et ideo gressus Ecclesiæ in castitatis pulchritudine collaudantur. Non est hujus temporis in morem Commentarii omnia de Cantico canticorum virginitatis pandere sacramenta, quia et hæc ipsa fastidioso lectori nares contractura non ambigo.

32 Loquitur Isaias spei nostræ fideique mysterium : *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium et vocabis nomen ejus Emmanuel* (Isa vii, 14). Scio judæos opponere solere, in Hebræo verbum ALMA [עלמה]⁴ non 288 virginem sonare, sed *adolescentulam*. Et revera virgo proprie BETHULA [בטולה] appellatur, adolescentula autem vel puella, non ALMA dicitur, sed NAARA [נערה]. Quid est igitur quod significat ALMA ? Absconditam virginem, id est, non solum virginem, sed cum ἐκκείσεται virginem ; quia non omnis virgo abscondita est nec ab hominum fortuito separata conspectu. Denique et Rebecca in Genesi ob nimiam castitatem et Ecclesiæ typum, quem in sua virginitate signabat, ALMA scribitur, non BETHULA, sicut manifestum esse poterit ex sermonibus pueri Abraham, quos loquitur in Mesopotamia : *Et dixit*⁵ : *Domine Deus domini mei Abraham, si tu dirigis viam meam per quam ego ingredior, ecce dum stetero super fontem aquæ, virgo quæ egredietur ut hauriat aquam, et dixerit ad eam : Da mihi paululum aquæ ut bibam de hydria tua ; ei responderit : Et tu bibe, et camelis tui hauriam : hæc erit uxor, quam præparavit Dominus filio domini mei* (Gen xix, 42 seq.). In eo enim loco, in quo ait : *Virgo quæ egredietur, ut hauriat aquam* in Hebraico scriptum est ALMA, id est *virgo secreta*, et nimia parentum diligentia custodita. Aut certe ostendant mihi ubi hoc verbo appellentur et nuptæ et imperitiam confitebor. *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium* Si non præfertur nuptiis virginitas, Spiritus sanctus cur maritam, cur viduam non elegit ? Nam illo tempore erat Anna filia Phanuelis de tribu Aser, insignis pudicitie, et semper vacans orationibus et jejuniis in templo Dei. Si conversatio tantum et bona opera et jejunia absque virginitate, Spiritus sancti ad se merentur adventum, potuit et ista mater esse Domini. Curramus ad reliqua : *Sprevit te, inquit, et despexit, virgo filia Ston* (Isa xxxvii, 22). Quam filiam dixerat, appellavit et virginem : ne si tantum filiam nominasset, arbitraretur et nuptam. Hæc est virgo

¹ Veronensis *cor nostrum* pro *meum* ; scilicet versionem ex Græco constantissime inhæret, ἐκκείσεται ἡμᾶς.

² Casanatensis cum veteri editione *conceptus*.

³ Maluinimus assentiri Grævio corrigit *filia*,

urgente etiam Græco, θύγατερ : antea erat *filii*.

⁴ Veronensis constante scribit, *AHALMA*.

⁵ Perperam in editis. *Et dicit* pro *Et dixi*, e quibus incipitur Scripturæ locus.

filia ad quam alibi dicitur » : *Lætare, sterilis, quæ non paris, erumpe et clama, quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (Isa. LIV, 1). Ista est de qua per Jeremiam loquitur Deus, dicens : *Nuuquid obliviscetur sponsa ornamenti sui, aut virgo fasciæ pectoralis suæ* (Jerem. II, 32) ? De hac in eadem prophetia grande miraculum est, quia femina circumdederit virum, 289 et universitatis parentem virginis venter incluserit.

33. *Jeremias virgo, ejus privilegia. Verum templum Dei, quod?* — « Esto, inquit, nuptiarum et virginitatis sit diversa conditio, quid ad hoc potes dicere ? Si virgo et vidua fuerint baptizata, et ita permanserint, quæ erit inter utramque diversitas? » Quod de Petro et Joanne, Anna et Maria dudum diximus, hoc præsentī loco proficiat. Si enim inter virginem et viduam baptizatas nihil interest, quia baptisma novum hominem facit, eadem conditione et scorta atque prostibula si fuerint baptizata, virginibus æquabuntur. Si enim præteritæ nuptiæ nihil nocent viduæ baptizata, et præteritæ in meretricibus voluptates, expositaque publicæ libidini corpora, post lavacrum virginitatis præmia consequentur. Aliud est purissimam mentem et nulla recordatione pollutam Deo jungere, aliud meminisse amplexuum viri sædæ necessitatis : et quod corpore non agas, recordatione simulare ¹. Jeremias, qui in utero sanctificatus est, et cognitus in vulva matris, ideo hoc privilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus. Et cum omnes capti sint, vasa quoque templi Babylonio rege vastante direpta, iste solus liber ab hostibus est, et captivitatis nescit injurias, et a victoribus accepit stipendia, et Nabuzardan, cui de sanctis sanctorum Nabuchodonosor non præceperat, præcepit de Jeremia. Hoc enim verum templum Dei est, et hæc Sancta sanctorum, quæ virginitatis puritate Domino consecrantur. At e contrario Ezechiel, qui captivus tenebatur in Babylone, qui tempestatem ab Aquilone venientem viderat, et turbinem cuncta rapientem, ait : *Mortua est uxor mea ad vesperam et feci mane sicut præceptum mihi. erat* (Ezech. xxiv. 18). Prædixerat enim ei Dominus, quod in die illa aperiretur os ejus, et loqueretur, et non taceret amplius. Diligenter attende, donec uxor viveret non habebat libertatem populum commo-
D
nendi. Moritur uxor, et conjugale vinculum solvitur, et absque ulla trepidatione semper in officio prophetali est. Qui enim liber vocatus est, vere est servus Christi. Non nego beatas esse viduas, quæ ita post baptismum manserint ; nec illarum detraho merito, 290 quæ cum viris in castitate perdurant, sed sicuti hæ majoris apud Deum præmii sunt, quam nuptæ conjugali officio servientes, ita et

A
ipsæ æquo animo patientur virginitatem sibi præferri. Si enim illas sera pudicitia post despumatas corporis voluptates erigit contra maritatas [Almaritas], cur non infra perpetuam castitatem esse se noverint ?

34. *Leviore præcepta data rudi adhuc Ecclesiæ. Electionum causæ variæ. Offensio malorum est, non bonorum. Vitium antiquum in Ecclesia. Officiorum nomina, non meritornm.* — « Frustra, inquit, hæc loqueris, quia et episcopi et presbyteri et diaconi unius uxoris viri, et habentes filios, ab Apostolo constituuntur ². » Quomodo de virginibus Apostolus dicit se non habere præceptum, et tamen dat consilium, quasi misericordiam consecutus a Domino, et hoc agit in omni illa disputatione, ut virginitatem præferat matrimonio, et suadet quod imperare non audeat, ne injicere videatur laqueum, et plus imponere ponderis, quam potest hominum sustinere natura : ita et in ecclesiastico ordine constituendo, quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non possent. Denique et apostoli et seniores de Hierosolymis litteras mittunt, ut non amplius imponatur oneris his qui de gentibus crediderunt nisi ut abstineant se ab idololatria, et fornicatione, et a sanguine, et a suffocatis ; et quasi parvulis atque infantibus lac potum dant, non solidum cibum ; nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate significant, nec ad jejunia provocant, neque dicunt illud quod in Evangelio ad apostolos dirigitur ³, ne habeant duas tunicas, ne peram, ne æs in zonis, ne virgam in manu, ne calceamenta in pedibus, aut certe illud : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia tua et da pauperibus : et veni, sequere me* (Matth. XIX. 24). Si enim adolescens ille qui se jactaverat cuncta fecisse quæ legis sunt, audiens hoc, tristis abiit, quia habebat possessiones multas, et Pharisæi hujuscemodi Domini sententiam subannabant : quanto magis tanta gentium multitudo, cui summa virtus erat aliena non rapere, non habebat necesse præceptum de castitate et continentia perpetua, quibus scribebatur ut abstinerent se ab idolis, et a fornicatione, et in quibus audiebatur fornicatio, et talis fornicatio, quæ ne inter gentes quidem est ! Sed et 291 ipsa episcopalis electio mecum facit. Non enim dicit ; Eligatur episcopus, qui unam ducat uxorem, et filios faciat ; sed qui unam ducat uxorem, et filios in omni subditos disciplina (I Tim. III, 2, 4 ; Tit, 1, 6). Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat. Alioqui, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permittite sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem sint virgines quod mariti : aut si sacerdotibus non licet

¹ Casanatensis. Recordatione dissimulare non posse. Jeremias, etc., paulo infra Babylonio vastante habetur in mss. absque rege.

² Idem Casanatensis. Ab Apostolo non confunduntur pro constituuntur.

³ Ms, S. Crucis, Ad apostolos dicitur.

uxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed et hoc inferendum. Si laicus et quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali, sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper cendum matrimonio. Nam et in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati, et vinum et siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare. Eliguntur mariti in sacerdotium, non nego; quia non sunt tanti virgines, quanti necessarii sunt sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimus quisque eligendus est, idcirco non assumuntur et infirmiores. cum omnes fortes esse non possint? Si exercitus viribus tantum constaret, et non etiam numero militum, abjicerentur imbecilliores. Nunc et secundarum et tertiarum virium gradus assumitur, ut turba et numero exercitus compleatur. Et quomodo, inquires, frequenter in ordinatione sacerdotali virgo negligitur, et maritus assumitur? Quia forte cætera opera non habet virginitati congruentia, aut virgo putatur, et non est: aut est virginitatis infamis¹, aut certe ipsa virginitas ei parit superbiam, et dum sibi applaudit de sola corporis castitate, virtutes cæteras negligit. Non fovet pauperes: pecuniæ cupidior est. Evenit interdum ut tristior vultus, adductum supercilium, incessus pomparum ferculis² similis, offendat populum, et quia nihil habet quod reprehendat invita, habitum solum odorit et incessum. Multi eliguntur non amore sui, sed alterius odio. In plerisque suffragium meretur sola simplicitas, et **292** alterius prudentiæ et calliditati quasi malitiæ opponuntur. Nonnunquam errat plebis vulgique iudicium, et in sacerdotibus comprobandis, unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum quam sui similem quærat propositum. Evenit aliquoties ut mariti, quæ pars major in populo est, maritis quasi sibi applaudant, et in eo se arbitrentur minores non esse virginibus, si maritum virgini præferant. Dicam aliquid quod forsitam cum multorum offensa dicturus sum; sed boni mihi non irascentur, quia eos peccati conscientia non remordebit. Interdum hoc et pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in clerum allegunt [Al. eligunt], et simpliciores quosque atque innocentes inhabiles putant, vel affinibus et cognatis quasi terrenæ militiæ officia largiuntur, sive divitum obediunt

¹ *Aut est virginitatis infamis.* Virginitatem infamem vocare videtur eam, quæ injuria ac violenta manu hominum efficitur in iis, qui ab hominibus facti sunt eunuchi, vel qui ita nati sunt ex utero matris. Hæc virginitas infamis est, impeditque ordinis dignitatem, et electionem in clerum. MARTIAN.

² *Incessus pomparum ferculis.* Supra in epistola ad Rufinum col. 4: « Fulgeat quilibet auro, et pompaticis ferculis coruscet, et sarcinis metella

A jussioni. Quodque his pejus est, illis clericatus donant gradum, quorum sunt obsequiis deliniti. Alioqui si juxta sententiam Apostoli, non erunt episcopi nisi mariti, ipse Apostolus episcopus esse non debuit, qui dixit: *Volo autem omnes sic esse, sicut ego sum* (I Cor. VII, 7). Et Joannes indignus hac gradu existimabitur, et omnes virgines, et continentes, quibus quasi pulcherrimis] gemmis Ecclesiæ monile decoratur. Episcopus et presbyter et diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum. Nec dicitur: *Si quis episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum* (I Tim. III, 4); *sed bonum opus desiderat*, quod in majori ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.

B 35. *Regula sobrietatis. Virtus gradus ecclesiasticos beatos efficit.* — Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, ut nulli vitio mancipatus sit; *unius uxoris virum*, qui unam uxorem habuerit, non habeat; *sobrium*, sive, ut melius in Græco dicitur, *vigilantem*, id est, *νηφάλιον* [Al. νηφάλιον]; *pudicum*, hoc enim significat *σώφρον* [Al. σώφρονα]; *ornatum*, et castitate et moribus; *hospitalem*, ut imitetur Abraham, et cum peregrinis, imo in peregrinis, Christum suscipiat; *doctorem*, nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi et creditum sibi populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrina, et eos qui contradicunt redarguere; *non vinolentum*, quia qui semper in Sanctis sanctorum est³ et offert hostias, vinum et siceram non bibit, quia **293** in vino luxuria est. Sic bibat episcopus, ut an biberit ignoreturi. *Non percussorem*, id est, qui conscientias non percutiat singulorum: neque enim pugilem describit sermo apostolicus, sed pontificem instituit, quid facere non debeat. Docet nunc e regione quid faciat: *Sed modestum, non litigiosum, non cupidum, domum suam bene regentem, filios habentem subditos cum omni castitate* (Ibid. 2-4). Vide quanta pudicitia exigatur in episcopo, ut si filii ejus impudici fuerint, ipse episcopus esse non possit, et eodem vitio offendat Deum quo offendit Heli pontifex. qui corripuerat quidem filios, sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit, et mortuus est, antequam lucerna Dei exstingeretur (I Reg. II et IV) *Mulieres similiter pudicas* (I Tim. III, 14), et reliqua. In omni gradu et sexu tenet pudicitia principatum. Cernis igitur quod episcopus, presbyter, et diaconus non ideo sint beati, quia episcopi, vel presbyteri sint, aut diaconi, sed si

radiant. »Habes ibi pomparum fercula. MARTIAN. — Cicero, I *Offic.*, c 36: « Cavendum est, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut similes pomparum ferculis esse videamur. » Erant nempe gestamina quædam quibus deorum simulacra in pompis deferrebantur. Vide in epist. 3, ad Rufinum, in fine et ad Rusticum, atque alibi.

³ Legimus ex mss. nostrorum consensu; antea enim: *Quia semper in Sanctis sanctorum est, et qui offert, etc.*

virtutes habuerint nominum suorum et officiorum, Alioqui si diaconus sanctior episcopo suo fuerit, non ex eo quod inferior gradu est, apud Christum deterior erit. Aut Stephanus diaconus, qui primus martyrio coronatus est (*Act.* VI, VII), minor futurus est in regno cælorum multis episcopis, et Timotheo ac Tito, quos ut subicere non audeo, ita nec antepone. Quomodo in legionibus et exercitu sunt duces, sunt tribuni, sunt centuriones, sunt ferentarii, ac levis armaturæ, et miles gregarius, et manipuli: commissaque pugna, vacant nomina dignitatum, et sola fortitudo quæritur: ita in hoc campo et prælio, quo contra dæmones dimicamus non quærentur nomina, sed opera: et gloriosior ille sub vero imperatore Christo, non qui nobilior, sed qui fortior est.

36. *Mutuuum patimur nostri ardorem. In resurrectione eadem substantia erit.* — At dices: Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit humanum genus? Par pari referam. Si omnes viduæ fuerint, vel in matrimonio continentes, quomodo stirps mortaliū propagabitur? Hæc ratione nihil omnino erit, ne aliud esse desistat. Verbi gratia: si cuncti philosophi sint, agricolæ non erunt. Quid loquar de agricolis? non oratores, 294 non jurisconsulti, non reliquarum artium præceptores. Si universi principes, quis erit miles? Si omnes caput, cujus vocabuntur caput, cum cætera membra defuerint? Vereris, ne si ¹ virginitatem plures appetierint, cessent lupæ ², cessent adulteræ, ne infantes in urbibus villisque non vagiant? Quotidie mæchorum sanguis effunditur, adulteria damnantur, et interipsas leges et secures ac tribunalia flagrans libido dominatur, Noli metuere ne omnes virgines flant: difficilis res est virginitas, et ideo rara, quia difficilis: *Multi vocati, pauci electi* (*Matth.* XX, 16; XXI, 14). Incipere plurimorum est, perseverare paucorum. Unde et grande præmium eorum qui perseveraverint. Si omnes virgines esse possent, nunquam et Dominus diceret: *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12): et Apostolus in suadendo non trepidaret ³: (*De virginibus autem præceptum Domini non habeo I Cor.* VII, 25). Et cur, inquires, creata sunt genitalia, et sic a Conditore sapientissimo fabricati sumus, ut mutuuum nostri patiamur ardorem, et gestiamus in naturalem copulam? Periclitamur responsionis verecundia, et quasi inter duos scopulos, et quasdam necessitatis et pudicitiae συμπαγήδαζ ⁴, hinc atque inde, vel pudoris, vel causæ naufragium sustinemus. Si ad proposita respondeamus, pudore suffundimur. Si pudor impetrarit

¹ Voculam si ex quatuor nostris mss. et veteri editione suffecimus; paulo post idem mss. sub interrogandi nota *num ex eo quod inferior*, etc.

² Mss. nostri et Gravius quoque *cessent esse lupæ*, etc.

³ Absque negandi particula fere elegantius habent Veronensis et Casanatensis libri *in suadendo trepidaret*.

⁴ Nostri habent συμπαγήδαζ. Impressa autem

A silentium, quasi de loco videmur cedere, et adversario feriendi occasionem dare. Melius est tamen clausis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis. Potera quidem dicere: Quomodo posterior pars corporis et meatus [per quem alvi stercora egeruntur relegatus est ab oculis, et quasi post tergum positus, ita et hic qui sub ventre est, ad digerendos ⁵ humores et potus, quibus venæ corporis irrigantur, a Deo conditus est. Sed quoniam ipsa organa et genitalium fabrica, et nostra feminarumque discretio, et receptacula vulvæ ad suscipiendos et coalendos fetus condita, sexus differentiam prædicant, hoc breviter respondebo: Nunquam ergo cessemus a lididine, ne frustra hujuscemodi membra portemus. Cur enim maritus se abstineat ab uxore? 295 Cur casta vidua perseveret, si ad hoc tantum nati sumus, ut pecudum more vivamus? Aut quid mihi nocebit, si cum uxore mea alius concubuerit? Quomodo enim dentium officium est mandere, et in alvum ea quæ sunt mansa transmittere, et non habet crimen qui conjugi meæ panem dederit: ita si genitalium hoc est officium, ut semper fruatur natura sua, meam lassitudinem alterius vires superent ⁶: et uxoris, ut ita dixerim, ardentissimam gulam fortuita libido restinguat. Quid sibi autem vult Apostolus, ut ad continentiam cohortetur, si contra naturam est? Quid ipse Dominus qui eunuchorum præcipit varietates? Certe Apostolus, qui ad suam nos provocat pudicitiam, debet constanter audire. Cur portas veretrum, o Paule? Cur a sexu feminarum, barba, pilis, aliaque membrorum qualitate distingueris? Cur ⁷ tuæ non intumescunt papillæ, non dilatantur renes, non pectus arctatur? Vox obsoletior est, sermo ferocior, et hirsutius supercilium. Frustra hæc omnia virorum habes, si complexu non uteris feminarum. Compellor aliquid loqui et insipiens fieri; sed vos me, ut loqui audeam, coegistis. Dominus noster atque Salvator, qui cum id forma Dei esset, formam servi dignatus est assumere, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, quid necesse erat, ut in his membris nasceretur, quibus usus non erat? Qui certe ut sexum ostenderet etiam circumcisis est. Cur Joannem apostolum et Baptistam sua dilectione castravit, quos viros nasci fecerat? Qui ergo in Christum credimus, Christi sectemur exempla. Et si noveramus illum juxta carnem, sed jam non novimus ⁸ eum secundum carnem. Certe in resurrectione eadem erit corporum

lectio magis arridet, erant nempe Symplegades insulæ duæ sive scopuli in Bosphoro a conflictatione sic appellatæ. Mox Casanatensis, *Si pudor imperavit silentium*.

⁵ Erat antea *ad dirigendos*, quod emendant mss. nostri omnes.

⁶ Veronensis ms. *supparent*.

⁷ Idem absque præposito adverbio *cur*.

⁸ Mss. *Sed jam nunc non novimus*, etc.

substantia qua nunc utimur, licet auctior gloria. A Nam et Salvator in tantum ipsum corpus habuit post inferos ¹, in quo et crucifixus est, ut manus perforatas clavis et lateris vulnus ostenderet. Porro si clausis ingressus est ostiis quod humanorum corporum natura non patitur, ergo et Petrum et Dominum negamus vera habuisse corpora, quia ambulerunt super aquas, quod contra naturam est. In resurrectione mortuorum, non nubent neque **296** nubentur, sed similes erunt angelis (Matth. xxii, 30), Quod alii postea in cælis futuri sunt, hoc virgines in terra esse cœperunt. Si angelorum nobis similitudo promittitur (inter angelos autem non est sexus diversitas), aut sine sexu erimus, quod angeli sunt: aut certe, quod liquido comprobatur, resurgentes in proprio sexu, sexus non fungemur officio

37. Verum quid agimus argumentis, et propositiones adversarii callida cupimus responsione superare? *Vetera taansierunt, ecce facta sunt omnia nova* (II Cor. v, 17). Curram per apostolorum sententias, et quomodo in Salomonis exemplis breves expositiunculas subdidi, ob intelligendi facilitatem ita et nunc castitatis et continentiae Christianae exempla replicabo, et de multis testimoniis quasi unum corpus efficiam, quo et nihil quod ad pudicitiam pertineat, prætermittam, et nimiae prolixitatis declinem fastidium. Scribit inter cætera Paulus apostolus ad Romanos: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis* ², *in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem Dei facti, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vera vitam æternam* (Rom. vi, 21, 22). Puto quod et nuptiarum finis mors sit. Fructus autem sanctificationis, qui vel ad virginitatem, vel ad continentiam pertinet, vita pensatur æterna. Ac deinde: *Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit: ut fructificemus* (Al. *fructificetis*) *Deo. Cum enim essemus in carne, passiones* ³ *quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti, Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur; ut serviamus in novitate spiritus, non in vetustate litteræ* (Rom. vii, 4 seqq.). Cum, inquit, essemus in carne, et non in novitate spiritus, sed in *vetustate litteræ*, faciebamus ea quæ carnis erant, et fructificabamus morti. Nunc autem quia mortui sumus legi, per corpus Christi, fructificemus Deo, ut simus ejus qui ex mortuis resurrexit. Necnon et in alio loco cum prædixisset, *Scio quia lex spiritualis est* (Ibid. 14): et cum de violentia carnis quod crebro nos impellat facere quod nolimus, la-

tius disputasset, ad extremum intulit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis* **297** *hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Ibid. 24, 25). Et iterum, *Ipse igitur mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (Ibid.) Et, *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis* (Rom. viii, 4, 2). Ac manifestius in consequentibus docet, Christianos non ambulare secundum carnem, sed secundum spiritum dicens: *Qui enim secundum carnem sunt, quæ sunt carnis sapiunt. Qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax; quoniam prudentia carnis, inimicitia est in Deum* ⁴. *Legi enim Dei non subjicitur, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (Ibid. 5 seqq.), et reliqua usque ad illum locum, in quo ait: *Ergo, fratres, debiores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (Ibid. 11, 14). Si prudentia carnis inimicitia est in Deum, et qui in carne sunt deo placere non possunt; arbitror eos qui serviunt officio conjugali quod prudentiam carnis diligant, et in carne sint. A qua nos retrahens Apostolus, et jungens spiritui, deinceps loquitur: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei* ⁵, *ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi omnibus qui sunt inter vos: non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad pudicitiam* (non ad sobrietatem ut male in Latinis codicibus legitur), *sed sapere, inquit, ad pudicitiam* (Rom. xii, 1-3), Siquidem Græce scriptum est, εἰς τὸ σωφρονεῖν. Consideremus sententia Apostoli; *Reformamini, inquit, in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta*. Quod dicit, hujusmodi est. Concedit quidem Deus nuptias, concedit digamiam, et, si necesse fuerit, fornicationi **298** et adulterio præfert etiam trigamiam. Sed nos qui corpora nostra exhibere debemus hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationabile obsequium nostrum, non quid concedat Deus, sed quid velit, consideremus: ut probemus quæ sit voluntas Dei

¹ Vetus editio *resurrectionem* pro *inferos* habet.

² Voculas *in illis* mss. non agnoscunt.

³ Mss. nostri, *Passiones peccatorum, quæ per legem operabantur in membris*, etc. cum veteri editione et juxta Græcum textum τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, quin etiam Vulgatum quoque interpretem.

⁴ Ex Casanatensi et veteri editione legi malim *inimica est Deo, vel in Deum*. Græce quoque est ἐχθρά. Ita et paulo post.

⁵ Veronensis plurium numero *per misericordias Dei* cum Græco διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ. Infra constanter *placens* habet pro *beneplacens*.

bona et beneplacens et perfecta. Ergo quod concedit, nec bonum, nec beneplacens est, nec perfectum. Redditque causas cur hoc suadeat: *Scientes tempus, quia horu est jam nos de somno surgere. Nunc autem propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit (Rom. XIII, 11, 12). Et in extremo: Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis (Ibid. 14). Aliud est voluntas Dei, aliud indulgentia. Unde et ad Corinthios scribens, ait: Ego, fratres, non potui loqui vobis sicut spiritualibus: sed sicut carnalibus [Al. quasi]; sicut parvulis in christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed neque nunc potestis. Adhuc enim carnales estis (I Cor. III, 1, 2). Qui animalis est, et non recipit (Al. percipit) ea quæ spiritus Dei sunt (stultitia enim illi est, nec potest intelligere, quia spiritualiter dijudicatur¹), iste non perfectæ castitatis cibo, sed rudi nuptiarum lacte nutritur. Sicut per hominem mors, sic et per hominem resurrectio mortuorum. Quomodo in Adam omnes morimur, sic in Christo omnes vivificabimur. Servivimus in lego veteri Adam serviamus in Evangelio novo Adam. Factus est enim primus homo Adam in animam viventem, et novissimus Adam in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cælestis, tales et cælestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit² (I Cor. XV, 47 et seq.). Hoc tam clarum est, ut nulla expositione queat manifestius fieri: *Caro, inquit, et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem. Si corruptio ad omnem coitum pertinet, incorruptio autem proprie castitatis est, præmia pudicitiae nuptiæ possidere non possunt. Scimus enim quoniam si terrena domus hujus habitationis 299 destructa fuerit, ædificationem habeamus ex Deo, bonum non manufactam, sempiternam in cælis. In quo ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de cælo est, superindui cupientes³. Cupimus enim egredi de corpore, et habitare cum Christo; propter quod et studiosissime nitimur, sive in corpore, sive extra corpus placere Deo (II Cor. X, 4 et seqq.). Et ut plenius exponeret, quales non esse vellet, in alio loco docet, dicens: Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (II Cor. XI, 2). Quod si ad totam Ecclesiam credentium volueris referre, et in hac desponsione Christi, et maritatas, et digamas, et viduas, et virgines contineri, hoc quoque pro nobis facit. Nam**

¹ Casanatensis cum negandi particula *Non dijudicatur*. Paulo post *moriuntur* et *vivificabuntur* in mss. invenitur pro *morimur* et *vivificabimur*.

² Mss. *Incorruptionem hæreditabit* juxta Græcum *κληρονομεῖ*.

³ lidem mss. *Superinduere desiderantes*.

⁴ In Casanatensi additur *modestia*.

A dum omnes ad pudicitiam et præmium virginitatis invitat, ostendit sanctis gradibus virginitatem esse potiozem. Rursumque ad Galatas; *Ex operibus, inquit, legis, non justificabitur omnis caro (Galat. II, 16). Opera legis et nuptiæ sunt, unde et maledicuntur in ea, qui (Al. quæ) non habent filios. Quæ si conceduntur etiam in Evangelio, aliud est indulgentiam infirmitati tribuere, aliud virtutibus præmia polliceri.*

38, Dicam et ego nuptiatoribus meis, qui post castitatem et diurnam continentiam subant ad coitum, et pecudum more lasciviunt: *Sic insipientes estis, ut cum cæperitis spiritu, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa (Galat. III, 3, 4)?* Apostolus, quod continentiae quibusdam nodos relaxat, et dimittit frena currentibus, propter infirmitatem carnis hoc facit. Contra quam scribens denuo loquitur: *Spiritu ambulate, et desiderium carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (Galat. V, 16, 17).* Non necesse est nunc de operibus carnis dicere, quia longum est, et facile potest de Apostoli Epistola sumere, qui (Al. quia, etc.) voluerit, Dicam tantum de spiritu, cujus fructus sunt; *charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo⁴, continentia. Omnes virtutes spiritus, quasi solidissimum fundamentum, et sublime culmen, continentia sustentat et protegit. Adversum hujuscemodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Si 300 vivimus spiritu, spiritu et ambulemus (Ibid. 24, 25).* Qui cum Cristo carnem nostram, et passiones ejus desideriaque crucifiximus, quid rursus ea quæ carnis sunt agere cupimus? *Quodcunque seminaverit homo, hoc et metet, Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam (Galat. XI, 8).* Existimo quod qui uxorem habet, quandiu revertitur ad idipsum, ne tentet eum Satanas, in carne seminat, et non in spiritu. Qui autem in carne seminat (non ego, sed Apostolus loquitur) metit corruptionem. Elegit nos in Christo⁵ Deus Pater ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati coram eo. Ambulavimus in concupiscentiis carnis, facientes voluntatem ejus, et cogitationum, et fuimus filii iræ, sicut et cæteri. Nunc autem conresuscitavit, et consedere nos fecit in cælestibus in Christo Jesu, ut deponamus secundum priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta desideria erroris, et aptari nobis illa benedictio possit, quæ mysticam⁶ ad Ephesios Epistolam tali fine concludit: *Gratia vobiscum omnibus*

⁵ In eodem desideratur *in Christo*.

⁶ Falso hactenus obtinuit *missa* pro *mysticam*, renuentibus quoque mss. *Mysticam* poro Epistolam ad Ephesios vocat quod Apostolus *in hac vel potissimum obscuro sensu et ignota sæculi sacramenta congesserit*, ut ipse Hieronymus in Præfatione Commentariorum in eandem epistolam loquitur.

qui diligunt Dominum in incorruptione (Ephes. vi, 24). *Conversatio nostra in cælis est. Unde et Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, conforme fieri corpori gloriæ suæ (Philipp. III, 20).* Quæcumque ergo sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque ad castitatem pertinentia, his copulemur, hæc sequamur (Philipp. IV, 8). Reconciliavit nos Christus in corpore suo Deo Patri per mortem, et exhibuit sanctos et immaculatos, et absque ulla reprehensione coram se: in quo et circumcisi sumus circumcisione non manufacta, in exspoliationem corporis, carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo in quo et consurreximus. Si ergo consurreximus cum Christo, ea quæ sursum sunt quæramus, ubi Christus est in dextera Dei sedens; ea sapiamus quæ sursum sunt, non quæ super terram. Mortui enim sumus, et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus **301** cum ipso in gloria (Coloss. II, 41; III, 1 seq.). *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut possit ei placere, qui se elegit (II Tim. II, 4).* Apparuit enim gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, caste et juste et pie vivamus in præsentis sæculo (Tit. II, 14, 12).

39. Filia Philippi virgines in Cæsarea. Jacobus frater Domini. *Umbra et imago veritatis in lege veteri.* — Dies me deficie si voluero omnia de castitate Apostoli præcepta memorare. Ista sunt de quibus ad apostolos Dominus loquebatur: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis ea portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (Joan. XVII, 12, 13).* Post crucem Christi, statim in Actis apostolorum una domus Philippi evangelistæ quadrigam producit virginum filiarum: ut Cæsarea, in qua ex gentibus Ecclesia per centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum præberet exempla. Cumque Dominus in Evangelio dixerit: *Lex et prophetæ usque ad Joannem (Matth. XI, 13),* istæ, quia virgines erant, etiam post Joannem prophetasse referuntur. Neque enim poterant veteris Testamenti lege retineri [Al. detineri], quæ virginitatis fulserant claritate. Transeamus ad Jacobum, qui frater Domini dicebatur, tantæ sanctitatis, tantæque justitiæ, et perpetuæ virginitatis, ut Josephus quoque historicus Judæorum, propter hujus

Mox habent mss. *Gratia cum omnibus*, absque vobis, quia voculam nec Græcus textus agnoscit.

² Miss., *Nemo militans implicatur sæculi negotiis: juxta Græcum textum οὐδεις στρατευόμενος ἐμπλέκεται*, etc. Et illud quidem Deo ab ipso Vulgato interprete additum autumat Estius, quod non satis consulto ad sensus integritatem putaverit desiderari.

³ Non equidem exstat in hodiernis libris istud Josephi de Jacobo testimonium; sed legerat olim etiam Origenes lib. I et II contra Celsum, et in

necem⁴ Hierosolymam subversam referat. Hic primus episcopus ex Judæis Hierosolymæ credentis Ecclesiæ, ad quem Paulus cum Tito Barnabaque pergebat, loquitur in Epistola sua *Nolite errare fratres mei dilecti. Omne datum bonum, et omnis perfecta donatio, de sursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est differentia, aut aversionis⁵ obumbraculum. Volens genuit nos verbo veritatis, ut simus primitiæ creaturarum ejus (Jac. I, 16, 17, 18).* Virgo mystice virginitatem docet. Omne perfectum donum de sursum descendit, ubi non sunt nuptiæ: et descendit non a quolibet, sed a Patre luminum, qui dicit ad apostolos: *Vos estis lux mundi (Matth. V, 14).* Apud quem non est differentia Judæi, sive gentilis, nec illa umbra quæ versabatur in lege, premit eos qui de nationibus crediderunt; sed verbo nos genuit, et **302** verbo veritatis, quia umbra et imago et species quædam veritatis præcessit in lege, ut simus primitiæ creaturarum ejus. Et quomodo ipse primogenitus ex mortuis omnes in se mortuos suscitavit: sic ipse virgo primitias virginum suarum in se virgine dedicavit. Petrus quoque quid de vocatione gentium sentiat, contemplemur: *Benedictus, inquit, Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam, regeneravit nos in spem vitæ, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptam et immaculatam et immarcescibilem, quæ servatur in cælis in vos qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem, quæ preparata est revelari in tempore novissimo (I Petr. I, 3 seqq.).* Ubi incorrupta prædicatur hæreditas, et immaculata et immarcescibilis, et præparata in cælis, et in tempus novissimum reservata, et spes vitæ æternæ, quando non nubent, neque nubentur, ibi aliis verbis virginitatis privilegia describuntur. Nam et in sequentibus hoc ipsum docet: *Propter hoc accincti lumbos mentis vestræ, vigilantes perfecte, sperate in eam gratiam, quæ vobis deferenda est in revelatione Jesu Christi. Quasi filii obedientiæ non conformemini prioribus ignorantibus vestræ¹ desideriis; sed secundum eum, qui vos vocavit, Sanctum, et ipsi sancti estote, in omni conversatione. Scriptum est enim: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Neque enim corruptibili auro et argento redempti sumus; sed pretioso sanguine immaculati agni Jesu Christi, ut castificemus animas nostras in obedientia veritatis, renati non ex coitu corruptibili, sed ex incorruptione, per verbum viventis Dei et permanentis; et sicut lapides vivi ædifice-*

Matth. XIII. Eusebius XI, 22, Hist. Græca ipsa verba laudat, et noster quoque Hier. in Catalogo, cap. 2 et cap. 13. Vide quæ ibi adnotamus.

⁵ Maluimus ex mss. nostrorum veterisque editionis consensu reponere *aversionis* pro *conversionis*. Græce τροπή

⁴ Sanctius Græco adherentes mss. nostri, *ignorantione vestra ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ὑμῶν*. Tum *argento et auro, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ*, et alia quædam levioris momenti.

mur in domum spiritualem, sanctum sacerdotium, offerentes spirituales victimas, per Christum Dominum nostrum (Ibid. 13 seqq.) Nos enim sumus genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Christus pro nobis carne mortuus est. Armemur eadem conversatione qua Christus, quoniam qui passus est in carne, quievit a peccato, ut nequaquam in desideriis hominum, sed in voluntate Dei, reliquum in carne tempus exigamus. Sufficit enim nobis præteritum tempus **303** quando ambulavimus in luxuriis et desideriis cæterisque vitiis. Grandia nobis et pretiosa virginitatis promissa donavit, ut per hanc efficiamur divinæ consortes naturæ, fugientes enim quæ in mundo est concupiscentiam corruptionis (I Petr. II, 9 seqq.), Novit Dominus pios de tentatione eripere, et iniquos cruciandos in diem reservare judicii, præcipue eos qui post carnem in desideriis pollutionis ambulant et dominationes despiciunt audaces et procaces. Isti enim quasi irrationabilia jumenta in ventrem et libidinem proni sunt, blphemantes, qui et in corruptione sua corrumpentur, recipientque mercedem iniquitatis luxuriam: qui putant delicias esse injustitiam, sordes, et maculas, et nihil aliud nisi de voluptatibus cogitantes. Qui habent oculos plenos adulterio et insatiabili libidine, et decipiunt animas necdum Christi charitate robustas. Loquuntur enim verba tumentia et indoctos facile illecebris carnis irretiunt: repromittentes eis libertatem, cum ipsi servi vitiorum sint atque luxuriæ et corruptionis¹ Unusquisque enim ei subjacet passioni, a qua vincitur. Quod si fugientes coinquinationes mundi per scientiam Salvatoris nostri Jesu Christi, iisdem rursum superantur, quæ ante superaverant, facta sunt ei novissima pejora prioribus. Meliusque eis erat non nosse viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti, et relinquere sanctum mandatum quod eis traditum fuerat. Completumque est in eis verissimum illud proverbium: Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti (II Petr. II, 9-22). Nolui omnem locum secundæ² Petri Epistolæ ponere, ne longum facerem, sed tantummodo ostendi Spiritus sancti valicinio, hujus temporis doctores [Al. doctorem] et hæresim prænuntiatam.

¹ Mss. nostri, *servi sint corruptionis* absque intrusis verbis *vitiorum atque luxuriæ*: omnino ex Græco textu αὐτοὶ δοῦλοι ὑπάρχοντες τῆς φθορᾶς, cui et Vulgatus interpretis concinit. Mox ex eodem Græco Salvatoris Jesu absque nostri, et paulo post, *Quam post notitiam ejus post tergum redire et relinquere*, etc.

² *Nolite omnem locum secundæ Petri*, etc. De Canone dixit supra omnem esse disputationem; consequenter ipse et Jovinianus Epistolam Petri secundam admittebant in canonem Librorum sacrorum. MARTIAN.

³ Victor., *Cum ipse corruptionis servus sit atque luxuriæ*.

⁴ Rescriptum S. Ambrosi ad Siricium de Joviniano ejusque asseclis: « Se dolent isti aliquo tempore esse maceratos, et propriam ulciscuntur injuriam quotidianisque conviviis usuque luxuriæ, laborem abstinentiæ propulsare desiderant. » No-

A Denique manifestius eosdem notat, dicens: *Venien enim in novissimis diebus illusores seducentes, juxta propria desideria ambulantes* (II Petr. III, 3), et cætera.

40. *Monachus Jovianus canis revertens ad vomitum. Tribus Levi pro tribu Don posito. Omnia opera imperfecta sine puritate. Hæretici damnant conjugia. Ecclesia probat et dispensat.* — Descripsit sermo apostolicus Jovinianum loquentem buccis tumentibus et inflata verba trutinantem, repromittentem in cælis libertatem, cum ipse servus sit vitiorum [Al. corruptionis] atque luxuriæ⁵, canis revertens ad vomitum suum. Nam **304** cum monachum esse se jactitet: et post sordidam tunicam, et nudos pedes, et cibarium panem, et aquæ potum, ad candidas⁴ vestes [Al. candidam vestem], et nitidam cutem, ad mulsum et elaboratas carnes, ad jura Apitii et Paxami [Al. Paxamis] ad balneas quoque ac fricticulas⁵ [Al. fritillas], et popinas se conferat, manifestum est quod terram cælo, vitia virtutibus, ventrem⁶ præferat Christo, et purpuram coloris ejus putet regna cælorum. Et tamen iste formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus, et quasi sponsus semper incedens, aut uxorem ducat, ut æqualem virginitatem nuptiis probet: aut si non duxerit, frustra contra nos verbis agit, cum opere nobiscum sit. Sed et Joannes in eadem verba concordat: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est desiderium carnis est, et desiderium oculorum, et superbia hujus vitæ, quæ non est de Patre, sed de mundo* (I Joan. II, 15 seqq.). Et, *Mundus præterit* [Al. præteriet], et desiderium ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum (Ibid. 17). *Mandatum novum scripsi vobis, quod est verissimum, et in Christo et in nobis; quia tenebræ præterierunt, et lux jam lucet* (Ibid. 8). Et rursum: *Charissimi nunc filii Dei sumus, et necdum apparuit quid futuri sumus. Scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem, castificat semetipsum, sicut et ille castus est* (I Joan. III, 2, 3). In hoc per-

tum porro Apitii nomen; Paxami vero mentionem facit Columella libro de re Rustica, et Suidas: scripsit autem ὀψαρτυκία. In aliquot mss. *Paximii* legitur. Pro *fricticulas* Gravius mavult *fittillas*. Certe Arnobius, lib. VII: « Quid fittillas, quid frumen, quæ sunt pulicum nomina? » De mutata Joviniani veste vide quæ adnotamus infra, l. II.

⁵ *Balneas quoque ac fricticulas*. Nullus codex ms. legit cum editis *fritillas*, sed *ficticulas*, vel *fricticulas*. Fricticulæ vers dicuntur abs Hieronymo culinæ ciborum frictorum: quare pulchre conjungit fricticulum cum popinis. MARTIAN.

⁶ Pro voce *ventrem* mss. nostri legunt *accipieut aerem vel aera*, quorum etsi sensum non assequor, moneor tamen depravatum hunc esse Hieronymi locum: quid enim post hæc *præferat Christo*, sibi volunt hæc alia. *Et purpuram coloris ejus putet regna cælorum*. Miror hæc a nemine editorum animadversa.

fecta est nostra charitas, si fiduciam habeamus in A diem judicii : ut quomodo ille est, sic et nos simus in hoc sæculo (1 Joan. iv, 17). Epistola quoque Judæ tale quid significat, *Odientes et carnis pollutam tunicam* (Judæ 23). Legamus Apocalypsim Joannis, et ibi reperiemus Agnum super montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia signatorum, habentium nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis, qui cantant Canticum novum, et nemo potest dicere Canticum illud, nisi hi qui empti sunt de terra. Isti sunt qui cum mulieribus se non coinquinaverunt, virgines, enim permanserunt. **305** Hi sequuntur Agnum quocunque vadit : empti sunt enim ex hominibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium, et sine macula sunt. De singulis tribubus, excepta tribu Dan, pro qua reponitur tribus, Levi¹, duodecim millia virginum signatorum creditura dicuntur, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Ac ne putarem de his dici, qui scorta non norunt, statim intulit : *Virgines enim permanserunt*. Ex quo ostendit omnes qui virgines non permanserunt, ad comparisonem purissimæ et angelicæ castitatis, et ipsius Domini nostri Jesu Christi, esse pollutos. *Hi sunt qui cantant Canticum novum, quod nemo potest canere, nisi qui virgo est. Hi sunt primitiæ Dei et Agni, et sine macula* (Apoc xiv, 3, 4). Si virgines primitiæ Dei sunt : ergo viduæ et in matrimonio continentis, erant post primitias, id est, in secundo et tertio gradu : nec prius perditus populus salvari poterit, nisi tales hostias castitatis Deo obtulerit, et immaculatum Agnum, purissimus victimis reconciliaverit. Insuper est de Evangelio decem virginum exponere sacramentum quinque stultarum et quinque sapientum. Hoc solum nunc dico, quod quomodo absque cæteris operibus virginitas sola non salvat, sic omnia opera absque virginitate, puritate, continentia, castitate, imperfecta sunt. Ex quo nequaquam nos illud poterit impedire, quod adversarius objicit, fuisse Dominum in Cana Galilææ, et nuptiarum festa celebrasse, quando aquas vertit in vinum. Hoc enim brevissime respon-

¹ Videtur, inquit Gravius, potius tribus Manasse filii Joseph pro tribu Dan reposita, cum Levi ex patriarchis duodecim sit tertius, et filius Jacob.

² Voculam *par* suffecimus ex mss. et veteri editione.

³ Collige ex his rumoris falsitatem, cum ab hæreticis, teste Augustino lib. 11 *Retract.* c. 12, de Hieronymo *jactabatur, Joviniano respondere non potuisse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum.*

⁴ *Chalchiæcus quoque*, etc. Non extat hæc historia, quod sciam, apud auctores fabularum. De aliis porro virginibus ac Sibyllis vide Nasonem, lib. viii, et x *Metam.* ; Lactant. lib. 1 *de Falsu Relig.* : August. *de Civit. Dei*, lib. xxiii, cap. 23 ; Tit. Liv. viii Decad. 1 ; Valer. Max. lib. viii, cap. 4, etc. MARTIAN. — Duo exemplaria nostra *Chalchiæcos*. Casanatensis *Calcoæquos*, al. *Calcodecus*, quodnam ex his præstet ignoramus. Chalchiæcus Minervæ ædes vocabatur in Lacedæmonia, unde ipsa quoque Minerva Chalchiæcus appellatur a plerisque

debo, quod qui octava die circumcisisus est, et pro quo par² turturum, et duo pulli columbarum die purgationis oblatis sunt, cum cæteris, antequam pateretur, Judaicam consuetudinem comprobavit : ne illis occasionem juste se interficiendi tribuere videretur, quasi legem destruens damnansque naturam. Quanquam et hoc pro nobis. Qui enim semel venit ad nuptias, semel docuit esse nubendum. **306** Et tunc virginitati posset officere, si nuptias post virginitatem, et viduitatis castimoniam non in gradu tertio poneremus. Nunc autem cum hæreticorum sit damnare conjugia, et Dei spernere conditionem, quidquid de laude dixerit [*Al. dixerint*] nuptiarum³, libenter audimus. Ecclesia enim matrimonia non damnat, sed subjicit ; nec abjicit, sed dispensat ; sciens, ut supra diximus, in domo magna non solum esse vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia ; et alia esse in honorem, alia in contumeliam ; et quicumque se mundaverit, eum futurum esse vas honorabile, et necessarium in omne opus bonum præparatum.

41. *Exempla e sæculi historiis. Virginitas apud ethnicos. Virgines honore semper habitæ apud Romanos. Spartanorum virgines. Alia Virginum exempla.* — Satis abundeque Christianæ pudicitie et virginitatis angelicæ, de divinis Libris exempla præbuimus. Sed quoniam intellexi in Commentariis adversarii, provocari nos etiam ad mundi sapientiam, quod nunquam hoc genus in sæculo sit probatum, et novum dogma contra naturam religio nostra prodiderit, percurram breviter Græcas et Latinas Barbarasque historias, et docebo virginitatem semper tenuisse pudicitie principatum. Referunt fabulæ Atalantam Calydoniam virginem semper in venatibus, semper in silvis, non tumentes uteros feminarum fastidiaque conceptum, sed expeditam et castam amasse virtutem. Harpalicem quoque virginem Thraciam insignis poeta (VIRGIL. 1 *Aneid.*) describit ; et reginam Volscorum Camillam, quam Turnus, cui auxilio venerat, laudare volens, non amplius habuit quod diceret, nisi virginem nominaret. *O decus Italiæ, virgo* (idem, lib. xi) ! Chalchiæcus quoque⁴ illa filia Leo, vir-

Græcis scriptoribus. Victorius unam ex his putat indicari, quæ a Suida sub aliis nominibus Theopes nempe, Embules, et Pasitheas memorantur, quarum una morte voluntaria pestem, deorum iram, placaverit : eamque forte cognominatum a Pallade Chalchiæcum. Nota ex plurimis scriptoribus quos Meursius in *Ceromic.* laudat historia ; quæ refert tres una omnes *Minervæ* pro salute urbis Athenar, mactatas, unde *Leocorion* sancte dedicatum est in earum memoriam. Laudatus Meursius proinde corrigendum vult pro Chalchiæcus duobus verbis *Haud secus*, quod probare nullo modo possum. Fortasse autem Hieronymianam lectionem tuebimur, si appellativum illud nomen *Chalchiæcus* non proprium agnoscas, eoque scias vocabulo appellatam virginem unam e quatuor Minervæ sacerdotibus quæ *Arrephoria* Deæ ferebant percelebræ ejus Athenis festo, quod item τὰ γὰλλοῖα vocabatur. Vide ad hanc vocem Suidam et Meursium si lubet *Attic. Lection.* lib. iv, cap. 49.

go perpetua, pastilentiam patriæ scribitur spontanea morte solvisse; et Iphigeniæ virginis sanguis adversos placasse ventos. Quid referam Sibyllas Erythræam atque Cumanam, et octo reliquas? nam Varro decem fuisse autumat, quarum insignæ virginitas est, et virginitatis præmium divinatio. Quod si Æolici genere sermonis Sibylla Θεοβούλη appellatur, recte *concilium Dei* sola 307 scribitur nosse virginitas. Cassandram quoque et Chrysein vates Apollinis, ac Junonis virgines legimus¹. Et sacerdotes Dianæ Tauricæ, et Vestæ, innumerabiles exstiterunt. Quarum una Munitia propter suspicionem stupri viva defossa est: injusta, ut reor, pœna, nisi grande crimen putaretur læsa virginitas. Certe Romanus populus quanto honore virgines semper habuerit, hinc apparet, quod consules et imperatores, et in curribus triumphantes, qui de superatis gentibus trophæa referebant, et omnis dignitatis gradus, eis de via cedere solitus sit. Claudia virgo Vestalis cum in suspicionem venisset stupri, et simulacrum matris Idææ in vado Tiberis hæreret, ad comprobendam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant. Melius tamen, inquit Lucani poetæ patruus [*Scil.* Seneca præceptor Neronis], cum illa esset actum, si hoc quod evenit, ornamentum potius exploratæ fuisset pudicitiae, quam dubiæ patrociniæ. Nec mirum hoc de hominibus, cum Minervam quoque et Dianam virgines deas finxerit error gentilium, et inter duodecim signa cœli, quibus mundum volvi putant, Virginem collocarint. Magna injuria nuptiarum, ut

¹ Alias erat. *Vates Apollinis Actii non nisi virgines legimus.* Vide de reliquis Lactantium, lib. I, c. 6. *de Falsa religione*; et c. 22. *de Ira Dei*; Augustinum, lib. xviii *de Civitate Dei*, c. 23: Lævium quoque, lib. viii, dec. 1; item Valerium maximum quoque, lib. viii, dec. 1; item Valerium Maximum lib. viii, c. 1; Ovidium denique in *Fastis*, quibus

² *Demotionis Areopagitarum.* Nunquam consilium mihi fuit scribendi Commentarios in Opera S. Hieronymi, nisi forte in librum Hebraicorum nominum, quem sciebam contemptui habitum apud multos. Itaque puram hic ac genuinam editionem Hieronymi requirat studiosus lector, non pædagogorum diligentiam scriptorum, in suis libris ostentantium eruditionem Græcarum ac Romanensium fabularum. Cæterum, qui scire voluerit, unde tanta antiquitatis monumenta collegerit vir sanctus Hieronymus, consulat Chronicon Eusebianum, Strabonem, Justinum, Polybium, L. Florum, Xenophontem, Herodotum, Plutarchum, Theophrastum, et reliquos, quos ipse sæpius appellat. MARTIAN.

A cernerent, quasi ad requisita naturæ egredientes, invicem se complexæ præcipitaverunt in puteum, ut virginitatem morte servarent. Demotionis Areopagitarum² principis virgo filia, audito sponsi Leosthenis interitu, qui bellum Lamiacum concitaret, se interfecit: asserens³ quanquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogere-tur, quasi secundum acciperet, cum priori mente nupsisset. 308 Spartiatæ et Messenii diu inter se habuere amicitias, in tantum ut ob quædam sacra etiam virgines ad se mutuo mitterent. Quodam igitur tempore, cum quinquaginta virgines Lacedæmoniorum Messenii violare tentassent⁴, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libentissime pro pudicitia occubuerunt. Quamobrem grave bellum et longissimum concitatum est, et post multum temporis Mamertia subversa est. Aristoclides Orchomeni tyrannus adamavit virginem Stymphalidem, quæ cum, patre occiso, ad templum Dianæ confugisset, et simulacrum ejus teneret, nec vi posset avelli, in eodem loco confossa est. Ob cujus necem, tanto omnis Arcadia dolore commota est, ut bellum publice sumeret, et necem virginis ulcisceretur. Aristomenes Messenius, vir justissimus, victis Lacedæmoniis, et quodam tempore nocturna sacra celebrantibus, quæ vocabantur Hyacinthia⁵, rapuit de choris ludentium virgines quindecim, et tota nocte gradu concito fugiens, excessit de finibus Spartanorum. Cumque eas comites ejus vellent violare, monuit quantum potuit, ne hoc facerent, et ad extremum quosdam non parentes [*Al.* parcentes] interfecit, cæteris metu coercitis. Redemptæ postea a cognatis puellæ, cum Aristomenem viderent cædis reum fieri, tandiu ad patriam non sunt reversæ, quandiu judicum advolutæ genibus defensorem pudicitiae suæ cernerent absolutum. Quo ore laudandæ sunt Scedasi⁶ filiae in Leuctris Bœotiae, quas traditum est, absente patre, duos juvenes prætereuntes jure hospitii suscepisse. Qui multum indulgentes vino vim per noctem intulere virginibus. Quæ amissæ

³ Videtur suppl. *quod ad sensus elegantiam.*

⁴ Consule Orosium, lib. II, c. 21; Strabonem quoque, lib. VI; Justinum, lib. III; et Eustachium, in Dionysium. Mox Casanatensis, « Virgines Lacedæmoniorum issent, et eas Messenii, » etc. Pro *Mamertia*, quod infra est, codices nostri *Mamertina*, quemadmodum in Chronico ad annum mundi 4430: « Messana quæ et Mamertina, » etc. Plinius, l. III, c. 8: « Oppidum Messana civium Romanorum, qui Mamertini vocantur. » Denuo recale Eusebium ad an. 3670. Infra pro *Arcadia* Casanatensis habet *Achaia*.

⁵ Falso erat *Hyacinthina*. Erant autem isthæc Apollini, sive Libero nocturna sacra. Macrobius. lib. I Satyr. c. 18: « Apud Lacedæmonios etiam in sacris, quæ Apollini celebrant, Hyacinthia vocantes, hedera coronantur Bacchico ritu, » Mox pro *quindecim* vetus editio habet *duodecim*. Deinde Casanatensis *quandiu potuit pro quantum*.

⁶ Vide Plutarchum in Pelopida, et in Amatoriis narrationibus.

puicitas nolentes supervivere, mutuis conciderunt vulneribus. Justum est et Locridas [Al. Lucrinas] virgines non tacere, quæ cum Ilium mitterentur ex more per annos circiter mille, nulla obscœni rumoris et pollutæ virginitatis ullam fabulam dedit. Quis valeat silentio præterire septem Milesias virgines, quæ, Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indecens ab hostibus 309 sustinerent, turpitudinem morte fugerunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curæ esse quam vitam ¹? Nicanor, victis Thebis atque subversis, unius virginis captivæ amore superatus est. Cujus conjugium expetens, et voluntarios amplexus, quod scilicet captiva optare debuerat, sensit pudicis mentibus plus virginitatem esse quam regnum, et interfectam propria manu flens et lugens amator tenuit. Narrant scriptores Græci et aliam Thebanam virginem ², quam hostis Macedo corruperat, dissimulasse paulisper dolorem, et violatorem virginitatis suæ jugulasse postea dormientem: seque interfecisse gladio ³, ut nec vivere voluerit post perditam castitatem, nec autem mori quam sui ultrix exsisteret.

42. *A virginibus procreatorum fabulæ.* — Apud Gymnosophistas Indiæ, quasi per manus, hujus opinionis auctoritas traditur, quod Buddam ⁴ [Al. Buldam], principem dogmatis eorum, e latere suo virgo generarit. Nec hoc mirum de Barbaris, cum Mineram quoque de capite Jovis, et Liberum patrem de femore ⁵ ejus procreatos doctissima sinxerit Græcia. Speusippus quoque sororis Platonis filius, et Clearchus in laude Platonis, et Anaxilides ⁶ in secundo libro philosophiæ, Perictionem matrem Platonis, phantasmate Apollinis oppressam ferunt, et sapientiæ principem non aliter arbitrantur, nisi de partu virginis editum. Sed et Timæus scribit Pythagoræ virginem filiam choro virginum præfuisse, et castitatis eas instituisse doctrinis. Diodorus Socraticus quinque filias ⁷ Dialecticas insignis pudicitiae habuisse narratur, de quibus et Philo Carneadis

¹ Vide in Jonæ c. 1: « Unde et in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur. »

² Vetustus codex apud Gravium pro *et aliam* habet *Æthalam*.

³ Ferme elegantius habent mss. nostri omnes cum veteri editione *interfecisse cum gaudio pro gladio*.

⁴ Sunt qui velint hunc quem memorat S. Pater Buddam, vel Buttam, eundem esse cum antiquissimo cujus meminit Clemens Alexandrinus, Sammanæorum et Gymnosophistarum principem. At natum illum ex virgine, non dixit Clemens; quod certe non reticisset, si ejusmodi de illo fabula tradere-tur: quam omnino a Budda Manichæo invectam post Christi tempora existimamus.

⁵ Veronensis prima manu *de femina*, quod alius mutavit in *semine*, quemadmodum etiam codex S. Crucis habet. Alter apud Gravium *de femina*.

⁶ Idem Veronensis *Amazilidis*, Casanatensis *Masciladis*, et paulo post *fasmate pro phantasmate*. Diogenes Laertius lib. III: Καί, αὐτὸς ἀναξίλιδος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ φιλοσόφων: quod est *de Philosophis*;

A magister pleniesimam scribit historiam. Ac ne nobis Dominum Salvatorem de Virgine procreatum Romana exprobraret potentia, auctores 310 urbis et gentis suæ Iliæ virgine et Marte genitos arbitrantur.

43. *Viduz gentiles.* — Hæc de virginibus sæculi currens per multiplices historias, et properans sermo perstrinxerit. Veniam ad maritatas [Al. maritas], quæ mortuis vel occisis viris ⁸ supervivere noluerunt, ne cogentur secundos nosse concubitus, et quæ mire unicus amaverunt maritos; ut sciamus digamiam apud ethnicos etiam reprobari. Dido, soror Pygmalionis, multo auri et argenti pondere congregato, in Africam navigavit, ibique urbem Carthaginem condidit, et cum ab Jarba [mss. Hiarba] rege Libyæ in conjugium peteretur, paulisper distulit nuptias, donec conderet civitatem. Nec multo post exstructa in memoriam mariti quondam Sichæi pyra, maluit ardere quam nubere. Casta mulier Carthaginem condidit, et rursus eadem urbs in castitatis laude finita est. Nam Hasdrubalis uxor, capta et incensa urbe, cum se cerneret a Romanis capiendam esse, apprehensis ab utroque latere parvulis filiis, in subjectum domus suæ devolvit incendium.

44. Quid loquar Nicerati conjugem, quæ impatiens injuriæ viri, mortem sibi ipsi conscivit, ne triginta tyrannorum, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret? Artemisia quoque uxor Mausoli insignis pudicitiae fuisse perhibetur Quæ cum esset regina Cariæ, et nobilium poetarum atque historicorum laudibus prædicetur, in hoc vel maxime effertur ⁹ quod defunctum maritum sic semper amavit ut vivum, et miræ magnitudinis ¹⁰ extruxit sepulcrum, in tantum ut usque hodie omnia sepulcra pretiosa ex nomine ejus Mausolæa nuncupentur. Teuta Illyricorum regina, ut longo tempore viris fortissimis imperaret, et Romanos sæpe frangeret, miraculo utique meruit castitatis. Indi, ut omnes 311 pene Barbari, uxores plurimas habent. Apud eos lex est, ut uxor charissima

et fortasse quidem ipse Hieron., *Philosophica historia* scripsit pro *Philosophiæ*.

⁷ Accipe locum hunc ex Clemente. *Stromat.* lib. IV: Αἱ γὰρ Διοδώρου, τοῦ Κρόνου ἐπικληθέντος, θυγατέρες, τᾶσσι Διαιλεκτικαὶ γεγονασιν, ὡς φησὶ Φίλων ὁ Διαιλεκτικός ἐν τῷ Μενεξένῳ, ὧν τὰ ὀνόματα παρατίθεται τὰδε: Μενεξένη, Ἀργεία, Θεόγνις, Ἀρτεμισία, Παντάκλεια, etc. *Filiæ autem Diodori cui fuit cognomen Saturnus, fuerunt omnes Dialecticæ, ut ait Philo Dialecticus in Menexero, quarum hæc ab eo feruntur nomina: Menexene, Argia Theognis, Artenisia, Pantaclea, etc.*

⁸ Mss. omnes, *occisis prioribus viris*, vetus editio *viris suis*.

⁹ Casanatensis interserit parum abrasis litteris *de more, ut solet*.

¹⁰ Addunt mss. omnes, et vetus quoque editio, et *pulchritudinis*. Sequentes historias recole apud Polybium, lib. I: Florum, in Epitome; Ciceronem quoque, infra *Tusculanarum Quæst.* v; Propertium, lib. v, atque alios. Mss. omnes et vetus editio, *Tanta Illyricorum Regina, pro Teuta Illyricorum, Florus Teusam* vocat.

cum defuncto marito cremetur. Hæ igitur contendunt inter se de amore viri; et ambitio summa certantium est, ac testimonium castitatis, dignam morte decerni. Itaque victrix in habitu ornatuque pristino juxta cadaver accubat, amplexans illud et deosculans, et suppositos ignes pudicitiae laude contemnens. Puto quæ sic moritur, secundas nuptias non requirit. Alcibiades ille Socraticus, victis Atheniensibus, fugit ad Pharnabazum. Qui, accepto pretio a Lysandro principe Lacedæmoniorum jussit eum interfici. Cumque suffocato caput esset ablatum, et missum Lysandro in testimonium cædis expletæ, reliqua pars corporis jacebat insepulta. Sola igitur concubina, contra crudelissimi hostis imperium, inter extraneos, et imminente discrimine, funeri justa persolvit, mori parata pro mortuo, quem vivum dilexerat. Imitentur matronæ, et matronæ saltem Christianæ, concubinarum fidem, et præstent liberæ quod captiva servavit.

45. Strato regulus Sinodis manu propria se volens confodere, ne imminentibus Persis ludibrio foret, quorum fœdus Ægyptii regis societate neglexerat, retrahebatur formidine, et gladium quem arripuerat circumspectans, hostium pavidus expectabat adventum. Quem jamjamque capiendum uxor intelligens, exstorsit acinacem de manu, et latus ejus transverberavit. Compositoque ex more cadaveri se moriens superjecit, ne post virginalia fœdera alterius coitum sustineret. Xenophon in Cyri majoris scribit infantia, occiso Abradote¹ viro, quem Panthea uxor miro amore dilexerat, collocasse se juxta corpus lacerum, et confosso pectore, sanguinem suum mariti infudisse vulneribus. Justam causam regis occidendi putavit uxor, quam maritus nudam² amico suo et ignorantem monstraverat. Judicavit enim se non amari, quæ et alteri posset ostendi. Rhodogune³ filia Darii, post mortem viri, nutricem quæ illi secundas nuptias persuadebat, occidit. Alcestin fabulæ ferunt pro Admeto sponte defunctam: **312** et Penelopes pudicitia Homeri carmen est. Laodamia quoque poetarum ore cantatur, occiso apud Trojam Protesilao, noluisse supervivere.

46. *Mulieres Romanæ insignes.* — Ad Romanas feminas transeam; et primam ponam Lucretiam, quæ violatæ pudicitiae nolens supervivere, maculam corporis cruore delevit. Duillius [Al. Duellius] qui primus Romæ navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem, tantæ pudicitiae, ut illo

¹ Veronensis lib. *Abradate*, Cisterciensis *Abrate*, Casanatensis *Abradite*. Vid. Xenophontem, lib. vii. Mox quoque *Phantia* in nostro ms. invenitur pro *Panthea*.

² Falso Martianeus *quam amicus nudam*, etc., pro *maritus*, ut habent mss. omnes atque editi vetustiores. Historiam Herodotus narrat de Candaule, sive Myrsilio.

³ Casanatens. *Rhodone*. Vid. Philostratum in Imaginibus. De Alceste Euripidem. Reliquæ obviæ magis historiæ et fabulæ.

⁴ Mss. *Quo dicto eleganter ostendit*, etc. Victorio

A quoque sæculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non vitium. Is jam senex et trementi corpore in quodam jurgio audivit exprobrari sibi os fœtidum, et tristis se domum contulit. Cumque uxori questus esset quare nunquam se monuisset, ut huic vitio mederetur: Fecissem, inquit illa, nisi putassem omnibus viris sic os olere. Laudanda in utroque pudica et nobilis femina, et si ignoravit vitium viri, et si patienter tulit, et quod maritus infelicitatem corporis sui, non uxoris fastidio, sed maledicto sensit inimici. Certe quæ secundum ducit maritum, hoc non potest dicere. Marcia Catonis filia minor, cum quæreretur ab ea cur post amissum maritum denuo non nuberet, respondit non se invenire virum qui se magis vellet quam sua. Quo dicto ostendit⁴ divitias magis in uxoribus eligi solere, quam pudicitiam, et multos non oculis sed digitis uxores ducere. Optima sane res, quam avaritia conciliat. Eadem cum lugeret viram, et matronæ ab ea quærerent quem diem haberet luctus ultimum, ait: Quem et vitæ, Arbitror, quæ ita virum quærebat absentem, de secundo matrimonio non cogitabat. Brutus Porciam virginem duxit uxorem; Marciam Cato non virginem; sed Marcia inter Hortensium⁵ Catonemque discurrit, et sine Catone vivere Marcia potuit; Porcia sine Bruto non potuit. Magis enim se unicus viris applicant feminæ; et nihil aliud nosse, magnum arctioris indulgentiæ vinculum est. Anniam cum propinquus moneret, ut alteri viro nuberet (esse enim ei et ætatem integram, et faciem bonam): C Nequaquam, inquit, hoc faciam. Si enim virum bonum invenero⁶, nolo timere **313** ne perdam; si malum, quid necesse est post bonum pessimum sustinere? Porcia minor cum laudaretur apud eam quædam bene morata, quæ secundum habebat maritum, respondit: Felix et pudica matrona nunquam præterquam semel nubit. Marcella major rogata a matre sua gauderetne se nupsisse, respondit: Ita valde, ut amplius nolim. Valeria Messalarum soror, amisso Servio viro, nulli volebat nubere. Quæ interrogata cur faceret, ait sibi semper maritum Servium vivere.

47. *Theophrasti de Nuptiis liber. Uxoris ductæ incommoda. Propter quod dicuntur uxores. Stultitia hominum non rara.* — Sentio in catalogo feminarum multo me plura dixisse quam exemplorum patitur consuetudo, et a lectore erudito juste posse reprehendi. Sed quid faciam, cum mihi mulieres nostri

autem pro *Marcia* legendum videretur *Porcia*: nam *Marcia*, ut statim subditur, non filia, sed uxor Catonis fuit.

⁵ *Marcia inter Hortensium*, etc. Discurrebat Marcia inter Hortensium et Catonem, quod utrique fuerit uxor, et post liberos procreatos rediret ad priorem virum. MARTIAN. — Marciam a Catone ejus viro Hortensius obtinuerat liberorum procreandorum gratia; quos cum illi peperisset, ad Catonem reversa est. De Porcia, vid. Plutarch. in Bruto.

⁶ Verba *ut ante habui* hic supplent emendatiores mss. et vetus editio.

temporis apostoli ingerant auctoritatem; et necdum elato funere prioris viri, memoriter digamiæ præcepta decantent? Ut quæ Christianæ pudicitiae despiciunt fidem, discant saltem ab ethnicis castitatem. Fertur aureolus ¹ Theophrasti liber *de Nuptiis*, in quo quærit an vir sapiens ducat uxorem. Et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, si sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit: « Hæc autem in nuptiis raro universa concordant. Non est ergo uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiæ: nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire. Multa esse quæ matronarum usibus necessaria sint, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, suppellex varia, lecticæ et esseda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conquestiones: illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? *de foro* veniens quid attulisti? Non amicum habere possumus [Al. possnm], non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere, nec cum sarcina ire possumus? [Al. potest]. Pauperem alere, difficile est; divitem ferre, tormentum. Adde quod ² nulla est uxoris electio, sed qualiscunque ³ obvenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcunque vitii est post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, et vilissima mancipia, vestes quoque, et lebetes, sedile ligneum, calix, et urceolus fictilis probantur prius, et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. Attendenda semper ejus est facies, et pulchritudo laudanda: ne si alteram aspexeris, se existimet displicere. Vocanda domina, celebrandus natalis ejus, jurandum per salutem illius, ut sit superstes optandum, honoranda nutrix ejus, et gerula, servus patrinus, et alumnus ⁴, et formosus assecla, et procurator calamistratus, et in longam securamque libidinem exsectus spado: sub quibus nominibus adulteria [Al. adulteris] delitescunt. Quoscunque illa dilexerit, ingratis amandi. Si totam domum regendam ei commiseris, serviendum est. Si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit; sed in odium vertetur ac jurgia, et nisi cito consulueris, parabit venena. Anus, et aruspices ⁵, et hariolos et institores gem-

¹ Intercidit Theophrasti liber iste de Nuptiis a sapiente ineundis totaque fragmenti hujus gratia Hieronymo habenda est.

² Erat *Adde quoniam*, renuentibus mss.

³ Mss. omnes cum veteri quoque editione *servus paternus, alumnus*, etc. Mox pro *exsectus* erat *exectus*.

⁴ Pro *aruspices* uno consensu habent mss. et vetus editio *aurifces*.

⁵ Publ. Mimius, *Difficile custoditur quod multis placet*.

⁶ Illud *vel aliquando* in duobus mss. non habetur, et Gravius respuit.

marum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiae est; si prohibueris, suspicionis injuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas; et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit. Pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant ⁶. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. Nihil tutum est, in quod totius populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo, vel aliquando ⁷ expugnatur quod undique incessitur. Quod si propter dispensationem domus et languoris solatia, et fugam solitudinis, ducuntur uxores: multo melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini, et dispositioni ⁸ ejus obtemperans, ⁹ quam uxor, quæ in eo se existimat dominam, si adversum viri faciat voluntatem, id est, quod placet, non quod jubetur. Assidere autem ægrotanti magis possunt amici, et vernulæ beneficiis obligati, quam illa quæ nobis imputat [Al. imputet] lacrymas suas, et hæreditatis spe vendit [Al. vendas] illuviem, et sollicitudinem jactans, languentis animum desperatione conturbat. Quod si ipsa languerit, cœgro-tandum est, et nunquam ab ejus lectulo recedendum. Aut si bona fuerit et suavis uxor (quæ tamen rara avis est ¹⁰), cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Sapiens autem nunquam solus esse potest. Habet secum omnes qui sunt, qui unquam fuerunt boni, et animum liberum quocunque vult, transfert. Quod corpore non potest, cogitatione complectitur. Et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Numquam minus solus erit quam cum solus erit ⁹. Porro liberorum causas uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, et certis utamur hæredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius nominetur; cum et filius ¹⁰ non statim patris vocabulum referat, et innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? Aut quæ senectutis auxilia sunt enutrire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut perversissimis sit moribus? Aut certe cum ad maturam ætatem venerit, tarde ei videaris mori. Hæredes autem meliores et certiores amici sunt et propinqui, quos iudicio deli-

⁶ Minus bene erat *dispensationi* contra mss. omnium fidem.

⁷ Penes Abælardum qui hunc locum laudat, quæ rara, aut vix est.

⁸ Publium Scipionem *dicere solitum scripsit Cato numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solus, quam cum solus esset*, Cicer. lib. III *Offic.* initio, Vide et Plutarchum in *Apophthegmatis*.

¹⁰ Mss., *Alius non vocatur, cum et filius*, etc. Paulo infra Casatanensis, *cum ad maturam ætatem veneris tarde, etc.*

gas, quam quos, velis nolis, habere cogaris. Licet certior hæreditassit, dum advivis, bene abuti substantia tua, quam tuo labore quæsitâ in incertos usus relinquere. »

48. *Omnia mala ex mulieribus. Epicurus voluptatis assertor. Jovis Gamelius et Genethlius.* — Hæc et hujusmodi Theophrastus disserens, quem non suffundat Christianorum, quorum conversatio est in cælis, qui quotidie dicunt: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo (Philipp. 1, 23)?* Hæredem nimirum desiderabit hominem cohæres Christi? et optabit liberos, nepotumque serie delectabitur, quos forsitan sit occupaturus Antichristus; cum legamus Moysen et Samuelem filiis suis alios 316 prætulisse; nec putasse liberos quos videbant Domino displicere? Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiæ sororem ejus duceret, omnino facere supersedit, dicens non posse se uxori et philosophiæ pariter operam dare, Illa interim conjux egregia, et quæ de fontibus Tullianis hauserat sapientiam, nupsit Sallustio inimico ejus, et tertio Messalæ Corvino, et quasi per quosdam gradus eloquentiæ devoluta est. Socrates Xantippen et Myron neptem Aristidis duas habebat uxores. Quæ cum crebro inter se jurgarentur, et ille eas irridere esset solitus, quod propter se fœdissimum, hominem, simis naribus, recalva [mss. recurva] fronte, pilosis humeris, et repandis cruribus, disceptarent: novissime verterunt in eum impetum, et male multatum fugientemque diu persecutæ sunt. Quodam autem tempore cum infinita convicia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset, aqua perfusus immunda, nihil amplius respondit, quam capite deterso: Sciebam, inquit, futurum ut ista tonitrua imber sequeretur. L. Syllæ (Vid. PLUTARCHUM in *Sylla*) Felicis (si non habuisset uxorem) Metella conjux palam erat impudica: et (quia novissimi mala nostra discimus) id Athenis cantabatur, et Sylla ignorabat; secretaque domus suæ primum hostium convicio didicit. Cn. Pompeio (Vid. eundem in *Pompeio*) Mutiam uxorem impudicam, quem Pontici spadones, et Mithridaticæ ambiabant catervæ, cum eum putarent cæteri scientem pati, indicavit in expeditione commilito, et victorem totius orbis tristi nuntio consternavit. M. Cato Censorius habuit uxorem Actoriam Paulam, humili loco natam, vinolentam¹, impotentem, et (quod nemo posset credere) Catoni superbam Hoc ideo dico, ne quis

¹ Illud *vinolentam* Casanatensis non habet: duo alii mss. *vinolentam* legunt, et pro *impotentem* vetus editio *mentis impotem*.

² Mendose erat *Georgias*.

³ Notatum in *Andromacha* Tragœdia hanc esse sententiam: κκῶν γυναικῶν εἰσοδοὶ μ' ἀπώλεσεν.

⁴ Refert ex Plutarchi libro *de Nuptialibus præceptis* Strobæus serm. 72: Ὁ Ῥωμαῖος, ὑπὸ τῶν φίλων νοουθετούμενος, ὅτι σώφρονα γυναῖκα καὶ πλουσίαν, καὶ ὡραῖαν ἀπεπέμψατο, τὸ καλίδιον αὐτοῖς προτείνας, καὶ γὰρ τοῦτο, ἔφη, καλὸν ἰδεῖν καὶ καινὸν, ἀλλ' οὐδεὶς οἶδεν ὅπου με θλίβει.

putet, si pauperem duxerit, satis se concordie providisse. Philippum regem Macedonum, contra quem Demosthenis Philippicæ tonant, introentem ex more cubiculum uxor exclusit irata: qui exclusus tacuit, et injuriam suam versu tragico consolatus est. Gorgias² rhetor librum pulcherrimum de concordia Græcis tunc inter se dissidentibus recitavit Olympiæ. Cui Melanthius inimicus ejus: Hic nobis, inquit, de concordia præcipit, qui se et uxorem et ancillam tres in una domo concordare non potuit. Æmulabatur 317 quippe uxor ejus ancillulæ pulchritudini, et castissimum virum quotidianis jurgiis exagitabat. Totæ Euripidis tragœdiæ in mulieres maledicta sunt. Unde et Hermione³ loquitur: *Malarum me mulierum decipere consilia.* In Lepti urbe semi-barbara, et posita in solitudine, moris est ut nurus altera die socrum ollam mutuam [Al. mutuam] postulet. Cui illa statim negat: ut scias illud verum esse Terentii, quod consulto ambigue extulit: *Qui est hoc? omnes socrus oderunt nurus.* Legimus quemdam apud Romanos nobilem⁴, cum eum amici arguerent, quare uxorem formosam et castam et divitem repudiasset, protendisse pedem, et dixisse eis: « Et hic soccus quem cernitis, videtur vobis novus et elegans: sed nemo scit præter me ubi me premat. » Scribit Herodotus, quod mulier cum veste deponat et verecundia⁵. Et noster Comicus fortunatum putat, qui uxorem nunquam duxerit. Quid referam Pasiphaen, Clytemnestram et Eriphylam: quarum prima deliciis diffuens, quippe regiis uxor, tauri dicitur expetisse concubitus, altera occidisse virum ob amorem adulteri; tertia prodidisse Amphiaræum, et saluti viri monile aureum prætulisse. Quidquid tragœdiæ tument, et domos, urbes, regnaque subvertit, uxorum pellicumque contentio est. Armantur parentum in liberos manus: nefandæ apponuntur epulæ; et propter unius mulierculæ raptum, Europa atque Asia decenniali bello confligunt⁶. Quasdam repudiatas, altero nuptiarum die, statim nupsisse legimus. Uterque reprehendendus maritus, et cui tam cito displicuit, et cui tam cito placuit. Epicurus voluptatis assertor (quanquam Metrodorus discipulus ejus Leontiam [Al. Leontium] habuerit uxorem) raro dicit sapienti ineunda conjugia, quia multa incommoda admista sunt nuptiis. Et quomodo divitiæ et honores et corporum sanitates, et cætera quæ indifferentia nominamus, nec bona nec mala sunt; sed

⁵ Non septimo, ut notatum est aliis, sed primo libro, cap. 8, hæc scribit Herodotus ex Gygis ore ad Candaulem: Ἀμα δὲ χιθῶνι ἐκδουμένῃ συνεχόεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή *Mulier, exuta tunica, verecundiam exuit.* S. quoque Cyprianus, *de Disciplina Virginum*, « Verecundia illic omnis exuitur, simul cum amictu vestis honor corporis ac pudor ponitur. » Mox plurimum numero legitur in Casanatensi *Pasiphaes, Clytemnestras, Eriphylas, etc.*

⁶ Mss. cum vetori edit., *Europæ atque Asiæ decennialia bella confligunt.*

velut in meditullio posita, 318 usu et eventu vel bona, vel mala fiunt; ita et uxores sitas in bonorum malorumque confinio. Grave autem esse viro sapienti venire in dubium, utrum bonam, an malam ducturus sit. Ridicule Crysippus ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium et Genethlium violet. Isto enim modo apud Latinos ducenda uxor non erit, quia Jovem non habent nuptialem. Quod si deorum, ut putat [Al. putant], nomina, vitæ hominum præjudicant, offendet ergo Statorem Jovem, qui libenter sederit.

49. Unde hausit quæ de nuptiis dixit. Muliebrium virtutum principatus pudicitia. — Scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt, et ista quæ subijcimus: Amor formæ, rationis oblivio est, et insanie proximus; sædum minimeque conveniens animo sospiti vitium. Turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissime amori facit. Nam cum fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit: odium sui facit, et ipse novissime sibi odio est¹. Tota amoris insectatio apud Platonem (in *Phædro*) exposita est; et omnia ejus incommoda Lysias explicat, quod non judicio, sed furore ducatur: et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet. Refert præterea Seneca cognovisse se quemdam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, fascia uxoris pectus colligabat, et ne puncto quidem horæ præsentia ejus carere poterat; potionemque nullam, nisi alternis [Al. alterius] tactam labris vir et uxor hauriebant; alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improvida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis. Nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat. Unde et Xystus² in sententiis: Adulter est inquit, in 319 suam uxorem amator ardentior, in aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Regat [Al. reget] impetus voluptatis, nec præceps feretur [Al. fe-

ratur] in coitum. Nihil est sædus quam uxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa reipublicæ, et generis humani, uxoribus jungi, et liberos tollere, imitentur saltem pecudes, et postquam uxorum venter intumuerit; non perdant filios; nec amatores uxoribus se exhibeant, sed maritos. Quorundam matrimonia aduiteriis cohæserunt; et, o rem improbam! iidem illis³ pudicitiam præceperunt, qui abstulerant. Itaque cito ejusmodi nuptias satietas solvit. Cum primum lenocinium libidinis abscessit, quod libebat, eviluit. Nam quid, ait Seneca⁴, de viris pauperibus dicam quorum in nomen mariti, ad eludendas leges quæ contra cælibes latæ sunt, pars magna conducitur? Quomodo potes regere mores et præcipere castitatem, et mariti auctoritatem tenere, qui nupsit? Doctissimi viri vox est, pudicitiam in primis esse retinendam, qua amissa, omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram; bene meretur de majoribus, quorum sanguinem furtiva sobole non vitiat; bene de liberis, quibus nec de 320 matre erubescendum, nec de patre dubitandum est; bene in primis de se, quam a contumelia externi [Al. exteri] corporis vindicat. Captivitatis nulla major calamitas est, quam ad alienam libidinem trahi. Viros consulatus illustrat; eloquentia in nomen æternum effert; militaris gloria triumphusque novæ gentis consecrat. Multa sunt, quæ præclara ingenia nobilitent. Mulieris virtus proprie pudicitia est. Hæc Lucretiam Bruto æquavit, nescias an et prætulit: quoniam Brutus non posse servire a femina didicit. Hæc æquavit Corneliam Graccho: hæc Porciam alteri Bruto. Notior est marito suo Tanaquilla. Illum inter multa regum nomina jam abscondit antiquitas. Hanc rara inter feminas virtus altius sæculorum omnium memoriæ, quam ut excidere possit, infixit. Imitentur ergo nuptæ Theano⁵, Cleobulinam, Gorguntem, Timocliam, Claudias atque Cornelias; et cum Apostolum malis mulieribus digamiam viderint ignoscentem, legent antequam religio nostra fulgeret in mundo unicubas semper habuisse inter matronas decus, per illas Fortunæ muliebri sacra fieri solitum, nullum sacerdotem digamum, nullum Flaminem⁶

¹ Veronensis et Cisterciensis, *Novissime odium est; Casanatensis, Novissimum odium est.*

² Plerique omnes mss. *Sextus*. Vid. quæ in epist. 133. pag. 124, adnotavimus. Concinit ejus sententiæ dictum de Othone;

Uxoris mœcuh cæperat esse suæ.

Mox Gravius sic legi mavult: *In alienam quippe uxorem omnis amor turpis; in suam nimius, turpissimus.*

³ Vetus edit. fortasse verius *iidem illi*, Mox in Veronensi et Cisterciensi mss., *cum primum lenocinium abscessit timor quod licebat*, etc., Casanatensis, *tumor quod licebat*; fortasse est emendandum *tunc omne quod*, etc.

⁴ Alias. *Nam quid ait Seneca? De viris*, inquit, *pauperibus dicam*, etc. Martianæus mendose sub ipsa interrogandi nota *Nam quod ait*, etc. Deinde Casanatensis *in omen mariti pro nomen*, etc.

⁵ Mss. *Theanum*: sed *Θεάνω* Græce indeclinabiliter, De ipsa vero sapientissima Pythagoræ uxore deque aliis illustribus feminis, vid. Plutarchum in fine Γάμου. Pohænum lib. II Stratag. pro *Cleobulina* mendose in Chronico est *Deubulina*,

⁶ Casanatensis *nullam sacerdotem bigamam*. Cæ Hierophantis et cicutæ sorbitione, imo verius admotione masculis partibus vid. Origenem lib. VII *contra Celsum*, Cæterum ex Tertulliano, ex quo pleraque expresit periodum, ubi *de Monogamia*, cap. ultimo, « Fortunæ, inquit muliebri coronam non imponit, nisi univira... Pontifex Maximus, et Flaminica nubunt semel, » etc. Porro Flaminem innui Dialem a Hieronymo intellige, ut notum ex A. Gellio lib. X, c. 45. ubi plures Flaminicas Diales leges commemorat.

bimaritum ; Hierophantas quoque Atheniensium A quam in pontificatum fuerint allecti, viros esse usque hodie cicutæ sorbitione castrari, et post- desinere.

LIBER SECUNDUS.

321 1. *Secunda propositio Joviniani.* — Secunda propositio est, eos qui fuerint baptizati, a diabolo non posse tentari. Et ne hoc stulte dicere videretur, adjecit ; * Quicumque autem tentati fuerint, ostendi [Al. ostendit] eos aqua tantum, et non spiritu baptizatos, quod in Simone Mago legimus, Unde et Joannes dicit : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non fecit : quoniam semen ipsius in eo, manet : et non potest peccare, quia ex Deo natus est. Et in hoc manifesti fiunt (mss. sunt) filii Dei, et filii diaboli (I Joan. III. 9, 10). Et in fine Epistolæ : Omnis qui natus est ex Deo non peccat ; sed generatio-Dei conservat eum, et malignus non tangit eum (I Joan. v, 18). »*

2. *Hieronymus. Peccatum fugat Christum et inducit diabolum.* — Revera fortis objectio, et quæ indissolubilis permaneret, nisi ipsius Joannis testimonio solveretur. Statim enim intulit : *Filioli, custodite vos a simulacris (I Joan. v, 21).* Si omnis qui natus est ex Deo non peccat, et a diabolo tentari non potest, quomodo pæcipit ut caveant ne tententur ? Et in eadem rursus Epistola : *Si dixerimus, quia (Al. quoniam) peccatum non habemus ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata, nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata, et mundet (Al. emundet) nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis (I Joan. I, 8 seqq.).* Existimo (Al. æstimo) quod Joannes baptizatus ad baptizatos scripserit, et quod omne peccatum a diabolo sit. Ille peccatorem se confitetur, et sperat remissionem, post baptismum, peccatorum : et Jovinianus meus dicit ; *Ne tangas me, quoniam mundus sum (Isa. LXV, juxta LXX).* Quid ergo ? contraria sibi Apostolus loquitur ? Minime. In eodem quippe loco cur hoc dixerit, statim edisserit : *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus, quod cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in eo veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus 322 quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (I Joan. II, 4*

seqq.). Propterea, inquit, scribo vobis, filioli mei : *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat ut non peccetis, et tandiu sciatis vos in generatione Domini permanere, quandiu non peccaveritis. Imo qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt. Quæ enim communicatio luci et tenebris ? Christo et Belial (II Cor. VI, 14, 15) ? Quomodo dies et nox misceri nequeunt : sic nec justitia et iniquitas, peccatum et bona opera, Christus et Antichristus Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris [Al. corporis] illo fugamus [Al. fugabimus] diabolum Si peccaverimus et per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedet. Unde et David post peccatum : *Redde mihi, ait, lætitiā salutaris tui (Psal. L, 14) : scilicet quam peccando amiserat, Quid dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est (I Joan. II, 4).* Christus veritas appellatur ; *Ego sum, inquit, via et vita et veritas* ¹ (Joan. XIV, 6). Frustra nobis in eo plaudimus [Al. applaudimus], cujus mandata non facimus. Scienti bonum, et non facienti illud, peccatum est, *Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic et fides sinc. operibus mortua est (Jac. II, 26).* Nec grande putenius unum Deum nosse, cum et dæmones credant et contremiscant. *Quid dicit se in ipso manere debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (I Joan. II, 6).* Eligat adversarius e duobus quod vult ; optionem ei [Al. enim] damus. Manet in Christo, au non manet ? Si manet, ita ergo ambulet ut Christus Si autem temeriarum est similitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Christo, quia non ingreditur ut Christus. Ille peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur, non remaledixit (I Petr. II, 22), et tanquam agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum (Isa. LIII, 9) ; ad quem venit princeps mundi istius, et invenit in eo nihil ; qui cum peccatum non fecisset (I Joan. III, 5), pro nobis peccatum eum fecit Deus (II Cor. v, 21). Nos autem, juxta Epistolam Jacobi, *multa peccamus omnes, et nemo mundus a peccatis (Jacob. III, 2), nec 323 si unius quidem diei fuerit vita ejus (Job XIV, 4, 5), Quis enim gloriabitur castum se habere cor ? aut quis confidet mundum se esse a peccatis ? Tenemurque rei in similitudinem prævaricationis Adam (Prov. XX, 9).* Unde et David : *Ecce, ait, in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis concepit me* ² *mater mea (Psal. L, 7).* Et beatur Job. *Si fuero justus os meum**

¹ Addit vetus editio *imo est.* In subsequenti Joannis versiculo voces *et vita* ex mss. omnibus et Victorio supplevimus. Leviora alia nonnulla supra atque infra emendamus.

² Duo mss. *peperit me*, sed Græcus ἐπίσθησέν με. Paulo post Casanatensis, *exsecratum est vestimentum meum, absque me.*

impia loquetur, et si sine crimine, pravus inveniar. A Et si purificatus in nive et totus mundis manibus, satis me sorde tinxisti, ei execratum est me vestimentum meum (Job XIV, et IX juxta LXX). Verum ne penitus desperemus, arbitantes nos post peccata baptismi non posse salvari, statim hoc ipsum temperat; Et si quis peccavit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi (I Joan. II, 1, 2). Hoc ad credentes post baptismum loquitur, et advocatum pro delictis eorum Dominum pollicetur. Nec dicit: Si quid peccaveritis, advocatum habetis apud Patrem Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis vestris; ne eos diceret, non plena fide baptismum consecutos; sed *Advocatum, B* inquit, habemus apud Patrem¹ Jesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; et non solum pro Joannis, illorumque peccatis; sed etiam pro totius mundi. In toto autem mundo et apostoli sunt omnesque credentes. Ex quibus liquido comprobatur, post baptismum posse peccari. Frustra enim habemus advocatum Jesum Christum, si peccari non potest.

3. *Error Montani et Novati damnatur, Liberi arbitrii sumus conditi. Nova imperitiæ factio.* — Petrus apostolus, ad quem dictum fuerat: *Qui lotus est, non necesse habet ut iterum lavet* (Joan. XIII, 10); et *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. XVI, 18); ab ancilla perterritus negat. Et ipse Dominus: *Simon, Simon, ecce, inquit, Satanæ postulavit vos, ut cribraret sicut C* (Al. quasi triticum. Ego autem rogavi pro te, ne (Al. ut non) deficeret fides tua (Luc XXII, 51). Et in eodem loco: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quod si ante crucem dictum responderis, certe post crucem in Oratione Dominica dicimus: **321** *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo* (Matth. VI, 12). Si non peccamus post baptismum, cur nobis poscimus peccata dimitti, quæ in baptismo jam dimissa sunt? Quid oramus ne intremus in tentationem, et ut liberemur a malo, si diabolus tentare non potest jam baptizatos? Aliud autem est, si ad catechumenos hæc oratio pertinet, et non convenit fidelibus et Christianis. Paulus electionis vas castigat

corpus suum, et in servitudem redigit, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniat (I Cor. IX, 27): *Et datus est mihi, inquit², stimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet* (II Cor. XII, 7). Et ad Corinthios: *Timeo, inquit, ne sicut serpens decepit Evam in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo* (II Cor. XI, 3). Et alibi: *Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana. Non enim ejus ignoramus astutias* (II Cor. II, 10, 11). Et rursum: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non dimittet vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione³ etiam proventum, ut possitis sustinere* (I Cor. X, 13). Et, *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat* (Ibid. 12). Et ad Galatas (Galat. V, 7): *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Et alibi *Voluimus* (Al. volumus) *venire ad vos: ego quidem Paulus. et semel et iterum, sed impedivit nos Satanas* (I Thess. II, 18). Et ad maritos: *Et iterum revertimini ad idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (I Cor. VII, 5). Et rursum: *Dico autem, spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæ vultis illa faciatis* (Gal. V, 16, 17). Ex utroque compacti, necesse est ut utriusque contra se substantiæ bella patiamur. Et ad Ephesios: *Non est nobis pugna* (Al. colluctatio) *adversus carnem et sanguinem, sed adversus⁴ principatus, et potestates, adversus rectores tenebrarum istarum, adversus spiritualia nequitiae in caelestibus* (Ephes. VI, 12). Et existima aliquis securos, et dormientes **325** nos esse debere post baptismum? Necnon ad Hebræos: *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, et gustaverunt donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaveruntque nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri, et prolapsi sunt, renovari iterum ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, et ostentui habentes* (Hebr. V., 4 et seqq.) Certe eos qui illuminati sunt, et gustaverunt⁵ donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum, negare non possumus baptizatos. Si autem baptizati peccare non possunt, quomodo nunc Apostolus dicit,

¹ Verba apud Patrem Martianeus omiserat: tum Casanatensis pro Joannis, illorumque peccatis, quibus scribit; sed etiam, etc. Victorius maluit aliorumque tantum.

² Velustiores duo mss. non habent verba *stimulus carnis* quæ sunt equidem hodiernum etiam in Græco textu, *εὐλόγη τῆ σαρκί*: sed olim a quibusdam exemplaribus abfuisse, indicio est vetus Æthiopica versio, quæ illa non agnoscit. In subsequenti versiculo mss. omnes habent *ne forte sicut serpens, etc.*, Græc. *μή πως*: rursus illa desiderata. Denique inferius verba *si quid donavi* non

agnoscunt, eadem versione Æthiopica suffragante.

³ Veronensis mss., et *eventum*. Gr. *ἐκβασις*: paulo post, illud *revertimini* desideratur, quemadmodum et infra verbum *concupiscit*, cum sequenti *enim*, quæ in nullis Hieronymianis exemplaribus inveniuntur.

⁴ Antea erat *principes*, renuentibus mss. Mox Casanatensis, et *dormientes esse post baptismum*.

⁵ Amovimus hinc Dei nomen ex fido cod. Veronensis et Victorii auctoritate.

Et prolapsi sunt? Verum ne Montanus et Novatus hic rideant, qui contendunt non posse renovari per poenitentiam eos qui crucifixerunt sibi et Filium Dei, et ostentui habuerunt: consequenter hunc errorem solvit, et ait: *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tamen ita loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dictionis, quam ostendis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et nunc ministratis (Hebr. vi, 9, 10).* Et revera grandis injustitia Dei, si tantum peccata puniret, et bona opera non susciperet. Ita locutus sum, inquit Apostolus, ut vos a peccatis retraherem, et desperationis metu facerem cautiore. Cæterum confido de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti. Neque enim justitiæ Dei est, ut obliviscatur bonorum operum, et ministerii quod propter nomen ejus exhibuistis et exhibetis in sanctos, et tantum meminerit peccatorum. Sed et apostolus Jacobus, sciens baptizatos posse tentari, et propria corruere voluntate: *Beatus, ait, vir qui suffert tentationem, quia, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (Jacob. i, 12).* Ac ne putarem secundum illud Genesios, ubi scribitur Abraham a Deo fuisse tentatum (*Gen. xxi*), nos quoque tentari a Deo: *Nemo, inquit, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo: tentor. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Dehinc concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem (Jacob. i, 13 et seqq.).* Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est. Sicut in bonis operibus perfectior est Deus, non est enim volentis. neque currentis sed miserentis et adjuvantis Dei, ut pervenire valeamus ad calcem: sic in malis atque peccatis, semina nostra sunt incentiva, et perfectio diaboli. Cum viderit nos super fundamentum Christi edificare (*Al. edificasse*) tenum, ligna, stipulam, tunc supponit incendium. *Edificemus ergo aurum, argentum, lapides pretiosos, et tentare non audebit: quanquam et in hoc non sit certa et segura possessio. Sedet quippe leo in insidiis et in occultis, ut interficiat innocentem. Et vasa figuli probat*

A fornax, homines autem justos tentatio tribulationis (Eccli. xxvii, 6). Et in alio loco scribitur: *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara te ad tentationem (Ibid. ii, 1).* Rursum idem Jacobus loquitur: *Estote factores verbi, et non auditores tantum. Si quis auditor est verbi et non factor, iste similis est viro, qui considerat vultum nativitate suæ in speculo, Consideravit illud, et statim recedens oblitus est qualis sit (Jacob. i, 23 et seqq.).* Frustra monuit, ut jungerent opera fidei, si post baptismum peccare non poterant, *Qui totam legem, inquit servaverit et peccaverit in uno, factus est omnium reus (Jacob. ii, 10).* Qui nostrum absque peccato? *Conclusit Deus omnia sub delicto, ut omnibus misereatur (Rom. xi, 32).* Petrus quoque (*II Petr. ii, 9*), *Novit, inquit, Dominus pios de tentatione eripere (Al. eruere)* Et de falsis doctoribus: *Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbini- bus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba (Al. superbia) enim vanitatis loquentes pelliciunt (Al. pellicit) in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugerant, et ad errorem reversi sunt (Ibid. 17, 18).* Nonne tibi videtur pinxisse sermo Apostolicus novam inperitiæ factionem? *Aperiunt enim quasi fontes scientiæ, quia quem non habent, doctrinarum promittunt imbrem, velut nubes prophetiæ, ad quas perveniat veritas Dei, et turbini- bus exagitantur dæmonum atque vitiorum. Loquuntur grandia, et totus eorum sermo superbia est: Immundus est autem apud Deum omnis qui exultat cor suum (Proverb, xvi, juxta LXX).* Ut qui paululum refugerant a peccatis, ad suum revertantur errorem; et suadent in luxuria, ciborum carnisque delicias, *Quis enim non libenter audiat (Al. audient): Manducemus et bibamus, et in æternum regnabimus? Sapientes et prudentes, pravos vocant: eos vero qui dulces sunt in sermonibus, plus audiunt. Joannes apostolus, imo in Joanne Salvator scribens angelo Ephesi Ecclesiæ: Scio, inquit, opera tua, et laborem et patientiam tuam, et quia sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti: sed habeo adversus te, quod charitatem tuam primam reliquisti, Memor esto unde cecideris, et age poenitentiam, et prima opera fac. Sin autem, veniam tibi, et movebo candelabrum tuum de loco, nisi poenitentiam egeris (Apoc. ii, 2 et seqq.).* Similiter et cæteras Eccl-

¹ Martian. post Erasm, addunt hic boni contra mss. fidem ipsamque Victorii emendationem.

² Casanatensis cum Vulgata, *tentatur.*

³ *Ubi necessitas, nec corona est.* Falso addiderunt libri ante nos, *nec damnatio, etc.* S. Germani codex ms. legit interrogativo. *Alioquin ubi necessitas, ubi corona est?* MARTIAN.— Nescio an verius addunt veteres editi *nec damnatio.*

⁴ *Adjuvantis Dei, ut pervenire.* Eandem sententiam legimus initio Prologi sancti Patris nostri Benedicti in regulam suam: *In primis, inquit, ut quidquam agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deprecas.* Hic in bonis ope-

ribus perfectior est Deus. Videant nunc theologi nostri, ne sanctorum verba detorqueant in proprios sensus; sed pura ac simplice fide interpretentur, non declinantes neque ad dexteram. neque ad sinistram. MARTIAN.

⁵ Veronensis cum vet. edit. *ut in occultis interficiat.* Paulo post alii mss. *tentatio et tribulationes,*

⁶ Martian. post Erasm, omittunt hic *verbi.*

⁷ Victorius, *qui aquam non habent doctrinarum.*

⁸ Mss. omnes *delictis.* Mox pro *pravos.* olim *parvos* erat. Gravius legendum suspicatur *patruos,* erat enim antea *supienter prudentes.*

sias, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardis, A et alienigenam sibi ex gentibus Ecclesiam copulavit, tamen secundum litteram post sacerdotium sordidatus inducitur, et stat diabolus a dextris ejus; et candida illi vestimenta deinceps redduntur. Superfluum est de Moyse et Aaron scribere, quod ad aquam contradictionis offenderint Deum, et terram repromissionis non intraverint: cum beatus Job angelos quocumque et omnem creaturam peccare posse commemorat, dicens: *Quid enim, nunquid homo² coram Deo mundus est? Aut in operibus suis sine macula vir? Si contra servos suos non credit, et adversum angelos suos pravum quid reperit; quanto magis habitantes in domibus luteis (Job. vi, 17 et seqq.)! de quibus et nos ex eodem luto sumus! tentatio est vita hominis super terram (Job. vii, 1).* Et cecidit Lucifer, qui mittebat ad universas nationes. Et ille qui in paradiso deliciarum inter duodecim nutritus est lapides, vulneratus a monte Domini, ad inferna descendit. Unde et Salvator in Evangelio: *Videbam, inquit, Satanam quasi fulgur de caelo cadentem (Luc. x, 18.)* Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit? Si in caelo ruinæ, quanto magis in terra? *Et tamen cum ceciderit Lucifer (imo post casum coluber antiquus,) virtus ejus³ in lumbis ejus, et potestas ejus super umbilicum ventris. Obumbrantur in eo arbores magnæ, et dormit juxta juncum et calamum et caricem (Job. x, 10 seqq.). Ipse est rex omnium quæ in aquis sunt (Job xli, 23): ubi scilicet voluptas et luxuria, et propago, et irrigatio nuptiarum. Quis enim denudabit faciem vestitus 329 ejus? Et portas vultus ejus quis aperiet? Saginantur in eo nationes⁴, et partiuntur eum Phœnicum gentes (Ibid. 2 et seqq.).* Ac ne forsitan tacite legentis cogitatio putaret, eas tantum Phœnicum gentes et populos Æthiopum significari, quibus draco in escam datus sit, statim de his qui per mare hujus sæculi transeunt [Al. transierunt], et ad portum salutis pervenire festinant, dicitur: *Et in navibus piscatorum caput ejus stat incus [Al. incudo] infatigabilis: reputat ferrum ut paleas, et sicut lignum putre (Al. putridum) æs. Et omne aurum maris sub eo, sicut lutum. Fervescere facit abyssum, sicut vas æneum: æstimat mare sicut⁵ deletum, et tartorum abyssi ut captivum. Omne altum videt (Ibid. 18 seqq.).* Et arbitratur Jovinianus meus facile sibi eum posse succumbere. Quid loquar de sanctis viris⁶ et de

4. Omnes retro sancti ejusdem meriti, cujus B nunc Christiani. Salomon amore mulierum a Deo discessit. Jesus Josedech typus Salvatoris. Angeli possunt recipere peccatum. — Paulisper de Veteri Testamento exempla distuleram; quia solent ubicumque contra eos facit, dicere: *Lex et Prophetæ usque ad Joannem (Matth. xi, 13.)* Cæterum quis ignorat sub altera [Al. alta] dispensatione Dei, omnes retro sanctos ejusdem fuisse meriti, cujus nunc Christiani sunt? Quomodo ante Abraham placuit in conjugio; sic nunc virgines placent in perpetua castitate. Servivit ille legi et tempori suo; serviamus¹ et nos Evangelio et tempori nostro, in quos fines sæculorum decurrerunt (I Cor. x, 11.) David electus secundum cor Domini (I Reg. xiii,) qui omnes ejus fecerat voluntates, et qui in quodam psalmo dixerat: *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor. Proba me, Domine, et tenta me, ure renes 328 meos et cor meum (Ps. xv, 1, 2.)* postea tentatur a diabolo, et post peccatum penitens loquitur: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam (Psal. l, 1.)* Magnum peccatum magna deleri vult misericordia. Salomon, amabilis Domini, et cui bis Deus fuerat revelatus; quia amator mulierum fuit, a Dei amore discessit. Manassen impiissimum regem post captivitatem Babylonicam, in pristinam dignitatem Liber Dierum (Paralipomena) restitutum refert. Et Josias vir sanctus, in campo Magedo ab Ægyptio rege confoditur. Jesus quoque filius Josedech, sacerdos magnus, quanquam in typo D præcessit Salvatoris, qui nostra peccata portavit,

¹ Casanatensis cum Veronensi, *serviamus et nos legi et tempori nostro.*

² Veronensis *coram Domino mundus est, aut ab operibus, etc.*

³ Ms., *in lumbis est pro ejus.*

⁴ Expungo hic vocem *Æthiopum*, quam subdunt hucusque editi; in mss. vero nullis, neque veteri editione invenitur, eamque nec Hebræus textus, nec versio ulla recipit; imo ne illa quidem antiqua, quam cum obelis et asteriscis Hieronymus edidit, et quam operæ pretium erit conferre cum hisce ex Græco testimoniis. Mox Gravius, pro *datus sit*, legit *dandus est.*

⁵ *Et in navibus piscatorum.* Ex hoc loco, quem replicat consequenter Hieronymus, scire possumus quanta fuerint prætermissa in libro Job juxta Septuaginta, si consulamus tomum primum editionis nostræ, id est divinam Bibliothecam S. Hieronymi, ubi suo loco editus est liber Job cum asteriscis et obelis.

MARTIAN.

⁶ Græce est ἐξάλειπτον, quod est unguentarium vas, testibus Polluce et Suida: quemadmodum et alii interpretes atque ipse innuit Hieronymus in versione ex Hebræo. Sed vetus Latinus interpretes facili oculorum lapsu legit, ἐξάλειπτον, *deletum*, ab ἐξάλειψω.

angelis qui cum creaturæ Dei sint, possunt utique recipere peccatum? Filium Dei tentare ausus est, et prima ejus et secunda sententia reperiens, nihilominus caput levat, et tertio vulneratus, usque ad tempus recedit, differens magis tentationem, quam auferens: et nos nobis blandimur de baptisate: quod sicut priora peccata dimittit, sic in futurum servare non potest, nisi baptizati omni custodia servaverint cor suum.

5. *Tertia quæstio.* — Tandem pervenimus ad cibos, et tertiæ quæstionis nobis opponitur difficultas: « Ad hoc creata esse omnia, ut usui mortalium deservirent. Et quomodo homo, rationale animal, quasi quidam habitator et possessor mundi, Deo subjacet, et suum veneratur Auctorem, ita euncta animantia, aut in cibos hominum, aut in vestitum, aut ad scindendam terram, aut ad subvectionem frugum¹, aut ipsius hominis esse creata: unde et jumenta ab eo quod juvent, appellentur. *Quid est, ait David, homo, quod memor es ejus aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti [Al minorasti] eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecti sub pedibus ejus, oves 330 et boves universas [Al universas,] insuper et pecora campi Volucres cæli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris (Psal. VIII, 5 et seq.).* Esto, inquit, bos ad arandum, ad sedendum equus, canis ad servandum, capræ ad lac, oves ad lanitia conditæ sint. Quis usus porcorum, absque esu carniū? quid capræ,

¹ *Casanatensis et ipsius hominis.* Mox recolendus Hieronymus noster in c. 1 Isaïæ; Lactantius libro II, c. 11: *Ut in excolenda terra juvent jumenta sunt dicta.* Vide Columellam initio libri VI.

² *Fecimus prandium pro eo quod erat antea nuptias,* urgentibus mss. ad unum omnibus.

³ *Non sesama, nuces, etc.* Codices mss. legunt *sisima*, vel *sisama*. *Sesama* fem. pro genere Indici frumenti accipitur apud Plinium lib. XVIII, cap. 10: *Estiva frumenta diximus, sesamam, milium, panicum.* Sesamum vere genere neutro, et sesama in plurali sæpius apud Columellam inter legumina recensentur, ut lib. II, cap. 7 et cap. 10. Et re vera *sesama* in Vasconia nostra sunt ipsa legumina quæ *pisa* alibi, in patria autem mea *seses* dicuntur, quasi dicas *sesames*; nam lingua nostra Vasconica gaudet monosyllabis et vocibus contractis Latinis, sicut *panem* appellamus *pan* et unum *canem* dicimus *un can*. Similiter arborē *sambucum*, contracte vocamus *sauc*.

Jam quod spectat nomen sequens *sorbitiunculas*, nolim definire an fuerint *legana* vel *placentæ* Scripturæ sacræ II Reg. 13, an minora sorba, de quibus Martialis lib. XIII:

Sorba sumus, molles nimium durantiæ ventres.

MARTIAN. — Vetus editio *caricas*, mss. promiscue *sisama* et *sesama*. In fine addit Casanatensis *expectat*, quemadmodum infra habetur.

⁴ Falso et contra mss. quoque fidem hactenus obtinuit *Cossum* pro *Castum*, quam lectionem Martianæus dum explicare conatus est, novo errore cumulavit. *Cossum* vermiculos roboribus innascen-

A cervuli [*Al. cervi*], damulæ, apri, lepores, et hujusmodi venatio? quid ansces silvestres et domestici? quid ficedulæ? quid ficedulæ? quid attagen? quid fulica? quid turdus? Cur in domibus gallina discurret? Si non comeduntur, hæc omnia frustra a Deo creata sunt. Verum quid opus est argumentis cum manifestissime Scriptura doceat (*Gen. IX, 2 seqq.*), omne quod movetur, sicut olera herbarum, data nobis in escam, et Apostolus clamitet: *Omnia munda mundis, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur (Rom. XIV, 20; I Tim. IV, 5):* et venturos in novissimo, qui prohibeant nubere, et vesci cibis, quos Deus creavit ad utendum (*I Tim. IV*). Ipse Dominus vini potator et vorator a Pharisæis appellatur, et publicanorum conviva et peccatorum; Zachæi prandium non recusans, vadens ad nuptiarum epulas. Porro aliud est, si stulta contentione dicitis, eum isse ad² prandium jejunatum, et impostorum more dixisse: *Hoc comedo, illud non comedo: nolo vinum bibere: quod ex aquis creavi.* In typo sanguinis sui non obtulit aquam, sed vinum. Post resurrectionem piscem et favum comedit, non³ sesama, nuces et sorbitiunculas. Petrus apostolus non expectat stellam more judaico, sed hora sexta in solarium pransurus ascendit. Paulus in navi panem frangit, non caricas. Timotheo dolenti stomachum, vinum suadet bibere, non piracium. De ciborum sibi placent abstinentia, quasi non et superstitio Gentilium⁴ *Castum Matris Deum* observet et Isidis.

C 6. *Hieronymus. Physici qui prosa et versibus*

tes indicari ait, quos ipse infra Hieronymus describit, et *ξυλοφάγους* appellat, eosque in Ponto ac Phrygia, comedere luxuriam esse tradit: et Plinius quoque lib. XVII, cap. 24: *Luxuria, inquit, Cossos roborum deliciores adhibere in cibo.* Sed minime ista ad rem sunt, neque aliquid cum Cybeles Isidisque mysteriis Cossi vermiculi habent, eoque ipso sensu *Cossum observare*, nihil est. Contra *Castum* Isidis et Cybeles veteres nonnulli memorant. Tertullianus de Jejuniiis adversus Psychicos, cap. 16: *In nostris Xerophagiis blasphemias ingerens, CASTO Isidis et Cybetes eos adæquas.* Arnobius lib. V: *Quid temperatis ad alimuntio panis, cui rei nomen dedisti CASTUS.* Paria his habet incertus auctor apud Suidam in voce *Μητρικκί* quas *καστείας* vocat: *Τὰς δὲ μητρικκίς παρὰ Ῥωμαίοις ἢ καὶ πρότερον παρὰ Φρυγί, σπουδαθελίας καστείας ἐκάστου μητρός ἤγγυε.* *Matrales* (*Matris Deum*) *castimonias, quæ a Romanis, et ante hos a Phrygibus observabantur, singulis sibi mensibus indicebat.* Porro sunt qui rem castam interpretentur, alii expiationem; malim ego abstinentiæ ritum in cibis intelligi. Id certe innunt laudata Tertulliani atque Arnobii testimonia, quibus concinere illud puto ipsius Hieronymi epist. 107. ad Lætam. num. 10: *Cultores Isidis et Cybeles gulosa abstinentia Phasides aves, ac fumantes turtures vorant, ne scilicet Cerealia dona contaminent.* Nimirum pane abstinebant. Luculentissime vero infra hoc ipso in libro, *Quomodo, inquit, virginitati veræ non præjudicat imitatio virginum diaboli ita nec veris jejuniis CASTUM* (erat hic quoque *Cassorum*) *Isidis et Cybeles et quorundam ciborum in æternum abstinentia, maxime cum apud*

scripserunt. Nostra religio erudit sapientiae secta-
tionem. Epicuri sententia damnata. — Sequar ergo
vestigia propositionis 331 expositae : et ante-
quam ad Scripturas veniam, doceamque ex eis
Deo grata jejunia, et acceptabilem continentiam,
argumentis philosophorum argumenta compo-
nam : et probabo, non Empedoclis et Pythago-
rae nos dogma sectari, qui propter μετεμψύχω-
σιν omne quod movetur et vivit edendum non
putant, et ejusdem criminis reos arbitrantur qui
abietem quercumque succiderint, cujus parricidae
sunt et venefici : sed venerari conditorem nostrum
qui in usus hominum cuncta creavit [Al. genera-
vit]. Et quomodo bos ad arandum, equus ad se-
dendum, canes ad servandum, caprae ad lac, oves
ad lanitia conditae sunt : ita sues et cervos, et ca-
preas et lepores ¹, et caetera : sed illa non statim
ad comedendum creata esse, sed in alios usus ho-
minum. Si enim omne quod movetur et vivit ad
vescendum factum est, et praeparatum gulae, re-
spondeant mihi cur elephanti, cur leones, ursi,
loopardi, lupi ; cur viperæ, scorpium, cimices, culi-
ces, pulicesque ; cur vultur, aquila, corvus, acci-
piter ; cur ceti, delphines, phocæ, minutæque co-
chleolæ conditæ sint. Quis nostrum leonem, qui
viperam, qui vulturem, quis ciconiam, quis mil-
vum, quis reptantes in littoribus vermiculos un-
quam comedit, (Al. comederit) ? Sicut igitur hæc
propriis usus habent, ita possumus dicere et cæ-
teras bestias, pisces ², aves non ad esum, sed ad
medicinam creatas. Denique carnes viperæ, unde
theriaca conficimur, quantis rebus aptæ sint, norunt
medici. Segmenta eboris in medelas ³ varias assu-
muntur. Fel hyænæ oculorum restituit claritatem,
illos jejunium panis, sagina carniam compensetur.
Vid. quæ ibi insuper annotamus. *Cossum matris.*
Cossis vermiculi dicuntur, qui roboribus innascun-
tur. Hos olim in deliciis habitos testatur Plinius.
In Ponto et Phrygia eos comedisse, luxuria erat,
ut observat infra Hieronymus. Ab his vermiculis
sacerdotes Cybelis Matris deum abstinebant ridi-
cula superstitione, quasi illi essent sacri.

MARTIAN.

¹ Cisterciens. cum Casanatensi mss. *Et caetera
hujusmodi non statim ad comedendum, etc.*

² Vocem aves ex omnibus mss. et veteri editione
suffecimus.

³ Alias erat aurium pro varias. Mox Aquilæ pro
Hyænæ, quod Gravius probat. Vide Plinium lib.
xxix, c. 6 : Dioscoridem quoque, et Galenum
in Ἰατρικῆς, id est de simplicium medicamentorum
natura, e quibus isthæc omnia ferme delibantur.

⁴ Et nostrum Flavium. De eodem Flavio hæc
habet libro Virorum illustrium in Firmiano : *Fir-
mianus, qui et Lactantius. . . . sub Diocletiano
principi accitus cum Flavio Grammatico. cujus de
medicinalibus versu compositi extant libri, etc.*

MARTIAN. — Grammaticum intellige, cujus de me-
dicinalibus versu compositos extant libros ipse
testatur in Catalogo, c. 80. Sunt qui hunc eundem
esse putent cum Flavio Capro ; alii sed perperam,
Fannium pro Flavium legunt ; Casanatensis, Fla-
vium.

⁵ Nautæ rhetores. Fædum errorem putat Maria-
nus legere, nautæ rhetores : pro rhetoribus tri-

et sterco ejus et canum putrida curat vulnera. Et
(quod forsitan legendum mirum sit) hominis fimus
quantis curationibus proficiat, Galenus in ἰα-
τρικῆς docet, Aiunt 332 Physici, quod pellis
colubri, qua exiit, decocta in oleo, mire dolo-
rem aurium mitiget. Quid ita inutile videtur ne-
scientibus ut cimices ? Si sanguisuga faucibus hæ-
serit, fumo ejus excepto, statim evomitur : et diffi-
cillas urinæ hujus appositione laxatur. Porcorum
autem, et anserum, et gallinarum, phasianorumque
adipes quid commodi habeant, omnes medicorum
declarant libri : quos (Al. quod) si legeris, videbis
tot curationes esse in vulture quot membra sunt.
Pavi fimus podagræ fervorem mitigat. Grues (Al.
gruis), ciconiæ, fel aquilæ, sanguis accipitris,
struthiocamelus, ranæ, chamæleontes, hirundinis
sterco, et carnes, quibus morbis aptæ sint, dice-
rem, si mihi propositum esset de medela corporum
disputare. Legat qui vult Aristolem et Theo-
phrastum prosa, Marcellum Sidetem ⁴, et nostrum
Flavium hexametris versibus disserentes : Plinium
quoque Secundum, et Dioscoridem, et caeteros
tam physicos quam medicos, qui nullam herbam,
nullum lapidem, nullum animal tam reptile, quam
volatile, et natatile, non ad suæ artis utilitatem
referunt. Igitur, cum mihi dixeris cur porcus
creatus est, statim tibi respondebo, puerorum
more certantium, cur viperæ, cur scorpium. Nec
Deum superfluum judicabis artificem, quia plu-
rimæ et bestiae et volucres sunt quas tuæ fauces
recusent. Sed ne contentiosum hoc, et pugna magis
videatur esse quam verum, audi idcirco sues,
et apros, et cervos, et reliquas animantes creatas
ut milites, et athletæ ⁵, nautæ, rhetores, metallo-

buens sectores. Gravius autem in notis suis ad
hunc locum, ita disserere voluit : *Nautæ rethores*
etc. Ingens mendum, inquit, quod irrepsit in
exemplaria, corrige legens : *vectores*. Ita quoque
lege lib. ii in Pelagianos : *Loquuntur nautæ atque
vectores*, in Ezech. xvii ; hos duos similiter
conjungit et in Matth. xiv, etc. At pace Mariani et
Gravii liceat nobis codicum mss. auctoritati in-
hærere, ac lectionem Erasmi defendere, cum illam
retinendam doceat contextus ipse Hieronymianus.
Dicit sanctus doctor sues, et apros, et cervos,
etc., creatos esse, ut milites et athletæ, nautæ
et rhetores, metallorumque fossores haberent
cibos ; postea addit, quod culibet convenit, *qui
portant arma* id est milites : *qui pugnat et calcibus
sua corpora debilitant* ; hi sunt athletæ : *qui remos
trahunt*, id est nautæ : *quorum latera ad claman-
dum dicendumque sunt valida*, id est rhetorum :
qui subvertunt montes, hoc est metallorum fossor-
es. Subjungit idem Hieronymus : *Cæterum nostra
religio, non πόκτην, non athlatam, non nautas, non
milites, non fessores ; sed sapientiae erudit secta-
torem* etc. Gerte si antea legisset sectores aut
vectores, hic diceret : *nostra religio non erudit
vectores aut sectores* : sed quia Christianos erudit
rhetores et oratores, hanc vocem omisit, caetera
abjiciens nomina. Retinendum itaque verbum
rhetores ; id enim præpter jam dicta, suadet Cicero
de Senectute : *Legem Vaconiam*, inquit, *magna
voce et bonis lateribus suasistem*. Ibidem hæc defi-
nite loquitur : *Et si enim munus non ingenii solum,*

ramque fossores, et cæteri duro operi manicipati, haberent cibos, quibus fortitudo corporum necessaria est: qui portant arma et cibaria: qui pugnis et calcibus sua invicem membra debilitant, qui remos **333** trahunt, quorum latera ad clamandum dicendumque sunt valida: qui subvertunt montes, et sub ¹ sudo et imbribus dormiunt. Cæterum nostra Religio, non πύκτην, non atletam, non nautas, non milites, non fossores; sed sapientiæ erudit sectatorem, qui se Deicultui dedicavit: et scit cur creatus sit, cur versetur in mundo quo abire festinet. Unde et Apostolus loquitur: *Quando infirmor, tunc fortior sum* (II Cor. xii, 40). Et, *Si exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II Cor. iv, 16); Et, *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (Phil. i, 23), Et, *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (Rom. xiii, 14). Nunquid omnibus præceptum est, ne duas tunicas habeant: ne cibos in pera, æs in zona, virgam in manu ², calceamentum in pedibus? ut vendant universa quæ possident, dentque pauperibus, et sequantur Jesum (Matth. x, 9, xix, 21, et Marc. vi, 8)? Sed his (Al. sed de his) utique, quid volunt esse perfecti, Alioquin a Joanne Baptista aliud præcipitur militibus, aliud publicanis. Dominus autem dicit in Evangelio ad eum, qui se jactaverat legi universa complisse: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus et veni, sequere me* (Matth. xix, 21). Ne grave onus nolenti videretur inponere, in propria audientis voluntate dimisit dicens: *Si vis perfectus esse*. Quamobrem et ego tibi dicam: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare. Si vis perfectus esse, melius est saginare animam, quam corpus. Si autem parvulus es (Al. si autem parvulus) et cocorum jura te delectant, nemo eripit faucibus tui esculentas dapes. Manduca et bibe, et si tibi placet, cum Israele lude consurgens, et canito: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (I Cor. xv, 85), Manducet et bibat, qui post cibos exspectat interitum: qui cum Epicuro dicit: Post mortem nihil est, et mors ipsa nihil est. Nos Paulo credimus intonanti: *Esca ventri, et venter escis Deus autem et hunc et illam destruet* (I Cor. vi, 13).

7. *Gentium variarum victus. Locustæ Joannis Baptistæ, Valentis lex de vitulis non comedendis. Variarum gentium mores. Singulæ Ægypti civitates singulas bestias colebant.* — Hæc ³ autem de Scripturis pauca posuimus, ut congruere nostra *sed laterum etiam et virium.* Valida proinde latera ad clamandum dicendumque, non vectoribus, aut vectoribus, sed rhetoribus et oratoribus, tribuere necesse sit.

MARTIAN.

¹ In Casanatensi et veteri editione, *sub divo*, lege *sub dio*.

² Plurium numero mss. *calceamenta* infra illa, et *da pauperibus*, in Casanatensi non habentur.

³ Mss. *Hæc pauca de scripturis, ut congruere, etc.*

A cum philosophis doceamus. Cæterum quis ignoret, unamquamque gentem non communi lege naturæ, sed his, quorum apud se copia est, vesci solitam? Verbi **334** gratia, Arabes et Saraceni, et omnis eremi barbaria camelorum lacte et carnibus vivit: quia hujuscemodi animal pro ⁴ temperie et sterilitate regionum facile apud eos et gignitur et nutritur. Hi nefas arbitrantur porcorum vesci carnibus. Sues enim, qui glande, castaneis, radicibus filicum, et hordeo ali solent, aut raro apud eos, aut penitus non inveniuntur: et si inventi fuerint, alimenta non habent, quæ supra diximus. E regione septentrionales populos, si ad esum asinorum camelorumque compellas ⁵ simile putabunt eorum vesci carnibus, ac si lupum comedere cogantur, aut corvum. In Ponto et Phrygia, vermes albos et obesos, qui nigello capite sunt, et nascuntur in lignorum carie, pro magnis redditibus paterfamilias exigit. Et quomodo apud nos attagen et sicedula, nullus et scarus in deliciis computantur: ita apud illos ξυλοφάγον (Al. ξυλοφάγιον) comedisse luxuria est. Rursum Orientales et Libyæ populos, quia per desertum et calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est. Hoc verum esse Joannes quoque Baptista probat. Compelle Phrygem et Ponticum, ut locustam comedat, nefas putabit. Coge Syrum Afrum et Arabem ut Vermes Ponticos glutiat, ita eos despiciet, ut muscas ⁶, millepedas, et lacertos, quamquam Siri et crocodilis terrenis, Afri etiam lacertis viridibus vesci soleant. In Ægypto et Palætina propter boum raritatem nemo vaccam comedit, taurorumque carnes et boum vitulorumque assumunt in cibis. At in nostra provincia scelus putant vitulos devorare. Unde et Imperator Valens nuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus vesceretur, utilitatis agriculturæ providens, et pessimam judaizantis vulgi emendans consuetudinem, pro altilibus et ⁷ lactentibus, vitulos consumentis, Nomades, et Troglodytæ, et Scythæ, et Hunnorum nova feritas, semicrudis vescuntur carnibus. Porro Ichthyophagi, gens errans in litore maris Rubri, super petras solis calore ferventes assant pisces, et hoc solo alimento victitant. Sarmatæ, **335** Quadi, Vandali, et innumerabiles aliæ gentes, equorum et vulpium carnibus delectantur. Quid loquar de cæteris nationibus, cum ipse adolescentulus in Gallia ⁸ Atticotos (Al. Scotos), gentem Britannicam, humanis vesci car-

⁴ Idem mss. *pro tempore*, non *temperic*.

⁵ Supino errore penes Martianum erat *simulque* pro *simile*: quemadmodum mss. et Victorius emendant.

⁶ Alias *millepedias*. Est autem *millepeda* vermis genus multis innixum pedibus. Paulo post *charitatem* alii habent pro *raritate*.

⁷ Sic vocant porculos tenellos, quos et Græci γαλαθνοός. Vid. Laertium in Pythagora.

⁸ *Piderim Atticotos*. Erasmus et Marianus legunt huc loco, *Scotos gentem Britannicam*: omnes autem

nibus : et cum per silvas porcorum greges et armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates et feminarum, et papillas solere abscindere, et has solas ciborum delicias arbitrari? Scotorum natio uxores proprias non habet : et quasi ¹ Platonis politiam legerit, et Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos conjux propria est, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more lascivunt. Persæ, Medi, Indi, et Æthiopes, regna non modica, et Romano ² regno paria, cum matribus et aviis, cum filiabus et neptibus copulantur. Messagetæ ³ et Derbices miserrimos putant, qui ægrotatione moriantur : et parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant : rectius esse ⁴ ducentes, ut a se potius, quam a vermibus comedantur. Tibareni quos dilexerint ⁵, senes suspendunt in patibulis. Hircani volucris et canibus semivivos projiciunt : Caspii iisdem bestiis mortuos. Scythæ eos qui a defunctis amati sunt, vivos infodiunt cum ossibus mortuorum. Bactri canibus ad hoc ipsum nutritis, obijciunt senes. Quod cum Alexandri Præfectus ⁶ Stasanor emendare voluisset, pene amisit provinciam. Coge Ægyptium, ut ovium lacte vescatur : impelle, si vales, Pelusioten, ut manducet cepe. Singulæ pene in Ægypto civitates singulas bestias et monstra venerantur : et quodcunque coluerint, hoc inviolabile et sacrum putant. Unde **336** et urbes quoque apud eos ex animalium vocabulis nuncupantur : Leonto, Cyno, Lyco, Busyris, Thmuis,

codices mss. retinent *Atticotos*, vel *Aticottos*. Qui sint porro *Acticottæ*, vel *Atticoti*, vide apud Buchanan. lib. II Rerum Scoticarum, pag. 17, et in libro de Castrensibus officiis Romanorum per provincias. De iisdem *Actacotis* Marcellinus lib. XXVII : *Actacoti bellicosa hominum natio, et Scoti per diversa vagantes*. Ubi *Atticoti* distinguuntur a *Scotis*, sicut in contextu Hieronymiano. MARTIAN. — Ammianus Marcellinus lib. XXVI, c. 4, *Atacottos* legit. *Picti*, inquit, *Saxonesque, et Scoti, et Atacotti Britannos ærumnis vexavere continuis*. Vide Hieronymum Epistola 69, numero 3.

¹ Plato enim communes uxores in Republica sua volebat esse. Cato propriam Hortensio commodavit, ut sub prioris libri finem notatum est.

² Vocem *regno* expungendam contendit vir doctus. Mss. autem *impertio* habent pro *regno*, idque magis placet. Proditum vero ab aliis quoque auctoribus, quod de Persis, Medis, etc. Hieronymus narrat.

³ Subsequentibus historiis variarum gentium, quemadmodum et alia non pauca, Hieronymus ex Porphyrii libro περί ἀποχῆς ἐμφύγων mutuatus est, imo ad verbum pene transtulit. Quædam modo subnecto, ex quibus S. Doctoris contextus non nihil expoliri ac restitui potest : Ἱστοροῦνται γοῦν, inquit ille, Μεσσαγέται καὶ Δέρβικες ἀθλιωτάτους ἡγεῖσθαι τῶν οἰκείων τοὺς αὐτομάτως τελευτήσαντας. Διὸ καὶ φθάσαντες, καταθύουσι καὶ ἐσθιῶνται τῶν φιλητάτων τοὺς γεγηρακότας. Τηβαρῆνοὶ δὲ ζῶντας κατακρημνίζουσι τοὺς ἐγγυτάτω γέροντας. Ἑρκάνιοι δὲ καὶ Κάσπιοι, οἱ μὲν οἰωνοῖς καὶ κυσὶν παραβάλλουσι ζῶντας, οἱ δὲ τεθνεῶτας. Σκυθαὶ δὲ συγκροτύττουσι ζῶντας καὶ ἐπισφάττουσι ταῖς πρᾶξις. οὓς ἡγάτων οἱ τεθνεῶτες μάλιστα. Καὶ Βάκτριοι μέντοι κυσὶ παραβάλλουσι ζῶντας

quod interpretatur *hircus*. Et ut sciremus quales deos semper Ægyptus recepisset, nuper ab Hadriani amasio urbs eorum Antinous⁷ appellata est. Pervides igitur, quod non solum in esu, sed et in sepulturis, et in connubiis, et in omni conversatione unaquæque gens suo ritu et proprietatibus victitet : et hoc eam naturæ legem putare, quod didicit. Verum fac esum carniū cunctis nationibus esse communem ; et passim licere, quod passim gignitur. Quid ad nos, quorum conversatio in cœlis est ; qui super Pythagoram et Empedoclem, et omnes sapientiæ sectatores, non oi debemur cui nascimur, sed cui renascimur : qui repugnantem carnem, et ad libidinum incentiva rapientem, inedia subjugamus? Esus carniū, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Unde et Comicus : « Sine Cerere, inquit, et Libero friget Venus. »

8. *Quinque sensus, vitiorum introitus. Vicinus insanix amor mulierum.* — Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animam introitus est. Non potest ante metropolis et arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur : et capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si Circensibus quispiam delectetur : si athletarum certamine : si mobilitate bistrionum : si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, et cæteris hujuscemodi, per oculorum fenestras animæ capta libertas est, et impletur illud propheticum : *Mors intravit per fenestras 337 vestras*⁸

τοὺς γεγηρακότας : καὶ τοῦτ' ἐπιχειρήσας καταλύσαι Στασάνωρ ὁ Ἀλεξάνδρου ὑπαρχὸς μικροῦ τὴν ἀρχὴν ἀπέβαλεν.

⁴ Casanatensis ; *rectius esse dicentes*, tum alii omnes mss., *consummantur* pro *comedantur*. Porro de Messagetis, quæ Seytharum gens est, eadem fere narrat Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypotypos. De Derbicibus Helianus IV. 1. Var. Tertullianus Apologetici cap. 9 : *Aiunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi*. Verius contra Marcion. lib. 1 : *Parentum cadavera cum pecudibus cæsa convivio convorant : qui non ita decesserint, ut escatiles fuerint, maledicta mors est*.

⁵ Porphyrius dicit κατακρημνίζουσι, quod proprie est, *præcipitant*, uti etiam ex Theodoreti sermone de Legibus patet.

⁶ Falso hactenus obtinuerat in editis libris omnibus, *Nicanor* pro *Stasanor*, quod nomen mss. duo, Veronensis et Cisterciensis, præferunt. Græcus quoque Porphyrii textus Στασάνωρ atque historiæ testimonium probat.

⁷ *Urbs eorum Antinous*. De Antino vide annotationes nostras t. III edit. nostræ in c. II Isaiæ. MARTIAN. — Antea erat *Antinois*. Sed *Antinous*, ut in mss. habetur, pro *Antinoupolis*, passim apud veteres occurrit, neque aliter fere unquam ea civitas appellatur. Ammian, Marcellinus lib. 22 : *Antinoan, quam Adrianus in honorem Antinoi ephēbi condidit*. Græci Ἀντινώ dicunt : hinc Antino pro Antinopolis, ut Pano pro Panopolis, atque ut hic ipse Hier. habet, Cyno pro Cynopolis.

⁸ Victorius maluit *nostras*, dissentiente Græco ὁμῶν. Mox Veronensis *flexionibus* pro *inflexionibus* : denique vetus editio cum Victor. *Comædiorum* pro *Comædiarum*.

(Ser. ix, 21). Rursum auditus vario organorum cantu, et vocum inflexionibus delinitur: et carmine poetarum et comædiarum, minorumque urbanitatibus et strophis, quidquid per aures introiens, virilitatem mentis effeminat. Odoris autem suavitas, et diversa thymiamata, et amomum, et cyphi, cœnanthe, muscus¹, et peregrini muris pellicula, quod dissolutis et amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat. Porro ciborum aviditas, quod avaritiæ mater sit, et animum quasi quibusdam compedibus degravatum in terra teneat, quis ignorat? Propter brevem gulæ voluptatem, terræ lustrantur et maria; et ut mulsum vinum pretiosusque cibus fauces nostras transeat, totius vitæ opera (ms. opere) desudamus. Tactus autem alienorum corporum, et feminarum ardentior appetitus, vicinus insaniam est. Ob hunc sensum, cupimus, irascimur, gestimus², invidemus, æmulamur, solliciti sumus, et expleta voluptate per quamdam pœnitentiam, rursus accendimur: quærimusque facere, quod cum fecerimus, iterum pœniteamus. Igitur cum per has portas, quasi quidam perturbationum cunei, ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas, ubi fortitudo ejus, ubi de Deo cogitatio: maxime cum tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, et recordatione vitiorum cogat animam compati, et quodammodo exercere quod non agit?

9. *Crates Thebanus*. His igitur rationibus invitati multi philosophorum, reliquerunt frequentias urbium, et hortulos suburbanos, ubi ager irriguus, et arborum comæ, et susurrus avium, fontis speculam, rivus immurmurans, et multæ oculorum auriumque illecebæ: ne per luxum et abundantiam copiarum, animæ fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia constupraretur. Inutile (*periculosum et noxium*) quippe est crebro videre per quæ aliquando captus sis, et eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam et Pythagoræi, hujuscemodi frequentiam declinantes, in solitudine et desertis locis habitare³ consueverunt. Platonici quoque et Stoici in templorum lucis et porticibus versabantur, ut admoniti angustioris (*Al. angustioris*) habitaculi sanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed et ipse Plato eum esset dives, et toros ejus Diogenes lutatis pe-

¹ Consule de hisce odoramentis Dioscoridem. De ciborum aviditate exempla apud Petronium in Satirico. *Mulsum*, quod nominat, in Macro poeta, quem recenset Sigebertus, vinum, vel etiam aqua est melle diluta.

² Casanatensis isthæc, *invidemus, æmulamur, solliciti sumus*, non agnoscit. Deinde vetus editio *plenitudinem* habet pro *pœnitentiam*; ex mss. vero omnibus *accendimur* reposui, pro eo quod erat *accendimus*.

³ Mss. *consueverant*. Emendamus paulo post *templorum lucis* pro eo quod hactenus obtinuit, *locis*, incongruo sensu atque inutili, et contra castigatio- rum codicum fidem. Gravius quoque *lucis* reponi maluit, sed jamdiu olim Abælardus locum hunc recitans lib. II, Theolog. Christian. ita legerat.

⁴ Ita ex Abælardo modo laudato legimus, veteri quoque editione consentiente. Antea erat *Acade-*

Academiam villam ab urbe procul, non solum desertam, sed et pestilentem: ut cura et assiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur: discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. Quosdam legimus effodisse sibi oculos, ne per eorum visum a contemplatione philosophiæ avocarentur. Unde et Crates ille Thebanus, projecto in mari non parvo auri pondere, Abite, inquit, pessum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Quod si quis existimat (*Al. æstimat*) et abundantia ciborum potionumque se perfrui, et vacare posse sapientiæ, hoc est, et versari in deliciis, et deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Cum enim procul ab his remoti sæpe capiamur naturæ illecebris, et cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus; quanto magis, si circumdati retibus voluptatum, esse nos liberos arbitremur! Sensus noster illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, gustat, attrectat, et ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur voluptate. Quod mens videat, et mens audiat; et quod nec audire quippiam, nec videre possimus (*Al. possemus*), nisi sensus in ea quæ cernimus et audimus fuerit intentus, vetus quoque sententia est. Difficile est, imo impossibile, deliciis et voluptatibus affluentes, non ea cogitare quæ gerimus: frustra quoque quidam simulant salva fide, et pudicitia et integritate mentis, se abuti voluptatibus, cum contra naturam sit, copiis voluptatum perfrui: et Apostolus hoc ipsum cavens, dixerit: *Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est* (I Tim. v, 6).

10. *Corpus puer, anima pædagogus*. *Cibus facilius qui sustentat corpus*. Sensus corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes, anima vero in aurigæ modum retinet frena currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt (*Al. sunt*): ita corpus sine ratione et imperio animæ, in suum fertur interitum. Alia quoque comparatio animæ et corporis a philosophis ponitur: corpus puerum, animam pædagogum esse dicentibus. Unde et Historicus: *Animæ, inquit, imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum bellis commune est*. Igitur nisi vitia adolescentis (*Al. adolentis*) et pueri, prudentia Pædagogi rexerit, *micam villam*, male; notum quippe istud existisse villæ nomen *Academia*.

⁵ S. Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem S. Basilii, hanc aliam a Cratere tunc pronuntiatam sententiam laudat, *Crates Craterem Thebanum libertate donat*. Vid. Epist. 118 ad Julian. num. 5.

⁶ Vetus edit, *semper frui*: tum Veronensis mss., *inter delicias*.

⁷ Casanatensis, *divitiis* pro *deliciis*.

⁸ Amovi hinc vocem *vidua*, quam nec Hieronymiani mss. nec ipse agnoscit Scripturæ textus, sive Latinus, sive Græcus.

⁹ Lecole Ciceronis verba quæ e tertio de Republica profert Augustinus lib. IV in Julianum, cap. 12, et de Civitate Dei lib. XIX, cap. 11: *Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, etc.*

¹⁰ Unde et Historicus. Ita sæpius appellat Sallustium Crispum, quasi nobilissimum inter scriptores

omnis conatus ejus et impetus ad lasciviam properant. Sine quatuor sensibus vivere possumus, id est, sine aspectu, auditu, odoratu, atque complexu. Absque gustu autem et cibus impossibile est humanum corpus subsistere. Adesse ergo debet ratio, ut tales ac tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægravetur; quia et comedendum est, et deambulandum, et dormiendum, et digerendum, et postea inflatis venis, incentiva libidinum sustinenda¹. *Luxuriosa res vitium, et contumeliosa ebrietas* (Prov. xx, 1). Omnis qui cum his miscetur, non erit sapiens. Nec tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos et perditos labore doleamus. Olerum, pomorum, ac leguminum, et facilior apparatus est, et arte impendiisque cocorum non indiget: et sine cura sustentat humanum corpus, moderateque sumptus quia nec avide devoratur quod irritamenta gulæ non habet leviori digestionem concoquitur. Nemo enim uno aut duobus cibus, hisque vilibus, usque ad inflationem ventris oneratur, quæ diversitate carniū et saporis delectatione² concipitur. Cum variis nidoribus sumant patinæ, ad esum 340 sui, expleta esurie, quasi captivos trahunt. Unde et morbi ex saturitate nimia concitantur; multique impatientiam gulæ, vomitu remediuntur, et quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.

11. *Oratione suasoria ad artes cap. ultimo. Grandis evulsio animæ unde sit. Tenuior victus, Exempla frugalitatis.* Hippocrates in Aphorismis docet crassa et obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleverint, nisi ablatione sanguinis cito imminuantur in paralysem et pessima morborum genera erumpere; et idcirco esse necessariam demptionem, ut rursus habeant in quæ possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere, nec posse vivere animal, nisi crescendi capax sit. Unde et Galenus vir (Al. vel) doctissimus, Hippocratis interpres, athletas quorum vita et ars sagina est, dicit in³ Exhortatione medicinæ, nec vivere posse diu, nec sanos esse: animasque eorum ita nimio sanguine, et adipibus, quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper

historicos. Sallustius porro in conjuratione Catilinæ initio hujus historiæ, in hunc modum scripsit: *Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur: alterum nobiscum diis, alterum cum bellis commune est.* MARTIAN. — Sallustius in Catilina cap. 1, ubi animi est pro animæ. Chrysippus apud Claudian. Mamertum de Statu animæ c. 11, cap. 8: *Animo dominandi jus tribuit, corpori legem servitutis imponit.*

¹ Est Scripturæ textus Proverb, xx, 1, juxta LXX, quod minime antea observatum est. Legimus proinde cum Veronensi ac Cisterciensi mss. *et contumeliosa ebrietas*; pro quo erat, *et tumultuosa*. Græco ipso $\kappa\alpha\iota\ \epsilon\beta\epsilon\rho\iota\sigma\tau\iota\kappa\acute{o}\nu$ dissentiente. Emendationem probat et Gravius. Infra leviora alia castigamus.

² Ex iisdem mss. *concupitur*, nempe inflatio; antea erat *percipitur*.

³ *Proprie προτροπικὸς λόγος πρὸς τὰς τέχνας in-*

A de carnibus, et ructu, et ventris ingluvie cogitare. Diogenes tyrannos et subversiones (Al. subversores) urbium, bellaque vel hostilia, vel civilia, non pro simplici victu olerum pomorumque, sed pro carnibus et epularum deliciis asserit excitari. Quodque mirandum sit, Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos replevit oleribus et pomis et vilibus cibus dicit esse vivendum; quia carnes, et exquisitæ epulæ, ingenti cura ac miseria præparentur, majoremque pœnam habeant in inquirendo [Al. quærendo] quam voluptatem in abutendo. (Vid. *Loctantium l. III, c. 17.*) Corpora autem nostra cibo tantum et potu indigere. Ubi aqua et panis sit, et cætera his similia, ibi naturæ satisfactum Vid. *Laertium l. x: et Senecam l. III. Epistol. 2 et 25.*) Quidquid supra fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis. Bibere, et comedere, non deliciarum ardorem⁴, sed sitim famemque restinguere. Qui carnibus vescantur, indigere etiam his quæ non sunt carniū. Qui autem simplici victu abutantur, eos carnes non requirere. Sapientiæ quoque 341 operam dare non possumus, si mensæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio et cura indiget. Cito expletur naturæ necessitas: frigus et lames, simplici vestitu et cibo expelli potest. Unde et Apostolus: *Habentes, inquit, victum, et vestitum* [Al. *vestimentum*], *in his contenti simus* (I Tim. vi, 8). Deliciæ et epularum varietates [Al. varietas], fomenta avaritiæ sunt. Grandis exultatio animæ est, cum parvo contentus fueris mundum habere sub pedibus, et omnem ejus potentiam, epulas, libidines, propter quæ divitiæ comparantur, vilibus mutare cibus, et crassiore [Al. grossiori] tunica compensare. Tolle epularum et libidinis luxuriam, nemo quæret divitias, quarum usus, aut in ventre, aut sub ventre est. Qui ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo et castigato victu, quæ λεπτή διαίτα dicitur. Quibus ergo cibus recipitur sanitas, his et servari potest; ne quis putet morbos oleribus concitari. Si autem Milonis⁵ illius Crotoniatæ vires olera non ministrant quæ nascuntur et aluntur ex⁶ carnibus: quid necesse est viro sapienti et philosopho

scribitur. Hujusmodi autem sententia est, quam Hier. Latine explicat. $\Sigma\alpha\rho\kappa\acute{\omega}\nu\ \gamma\alpha\rho\ \acute{\alpha}\epsilon\iota\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\iota\mu\alpha\tau\omicron\varsigma\ \acute{\alpha}\theta\rho\upsilon\zeta\omicron\nu\tau\epsilon\varsigma\ \pi\lambda\eta\theta\omicron\varsigma\ \omega\varsigma\ \acute{\epsilon}\nu\ \beta\omicron\rho\rho\acute{\omicron}\rho\omega\ \tau\eta\nu\ \psi\upsilon\chi\eta\nu\ \acute{\epsilon}\alpha\upsilon\tau\omega\nu\ \acute{\epsilon}\chi\omicron\upsilon\sigma\iota\nu\ \kappa\alpha\tau\epsilon\sigma\beta\epsilon\sigma\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\nu,\ \omicron\upsilon\delta\acute{\epsilon}\nu\ \acute{\alpha}\chi\rho\iota\theta\acute{\epsilon}\varsigma\ \nu\omicron\tilde{\iota}\sigma\alpha\iota\ \delta\upsilon\nu\alpha\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\nu,\ \acute{\alpha}\lambda\lambda\prime\ \acute{\alpha}\nu\omicron\upsilon\ \delta\mu\omicron\iota\omega\varsigma\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\iota\varsigma\ \zeta\omega\iota\varsigma.$

⁴ Mss. *ardore*, olim erat *ardor est*: Victorius maluit *ad deliciarum ardorem*.

⁵ *Illius Crotoniatæ vires*. Milo Crotoniensis tantæ fortitudinis fuisse dicitur, ut in Olympico certamine bovem per stadium portaverit: quem deinde ictu pugni interfecit, uno quoque die integrum devoravit. Vide Galenum ubi supra, et Plinium lib. VII, cap. 20. MARTIAN.

⁶ *Vocula ex* antea desiderabatur. Paulo supra *castigatum a Deo victum* Tertullianus, et *castigalam refectionem* Cassianus vocat. Macrobius quoque l. II Saturn. cap. 1 *Heroes castigatis dapibus assidunt*. Cæterum de Milone vid. Galenum loco supra laudato, et Plinium lib. VII, cap. 20.

Christi, tantam habere fortitudinem, quæ athleticæ et militibus necessaria est, quam cum habuerit, ad vitia provocetur? Illi arbitrentur [Al. arbitrantur] carnes sanitati congruas, qui volunt abuti libidine et in cœnum demersi voluptatum, ad coitum semper exæstuant. Christiano sanitas absque viribus nimis necessaria est. Nec turbare nos debet, si rari sint hujus propositi sectatores; quia rari sunt et amici boni et fideles, et pudici et continentes, semperque virtus rara est. Lege Fabricii continentiam, Curii paupertatem, et in tanta urbe vix paucos invenies quos sequaris. Noli timere ne, si carnes non comederis, aucupes et venatores frustra artificia dedicerint.

12. *Podagræ medicina. Vitanda omnis satietas.* — Legimus quosdam morbo articulari et podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos, convaluisse. Caruerant enim sollicitudine dispensandæ domus et epularum largitate, quæ et corpus frangunt et 342 animam. Irridet Horatius (*Epist. lib. 1, ep. 2, ad Lollium*) appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt pœnitentiam:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Et cum in amœnissimo agro in morsum voluptuosorum hominum se crassum pinguemque describeret, lusit his versibus:

Me pinguem et nitidum, bene curata cute, vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Sed et ex vilissimis cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter et exæstuens, et huc illucque se vertens, et in ructus vel in crepitus ventorum efflatione respirans. Quale illud jejunium est, aut qualis illa refectio post jejunium, cum pridianis epulis distendimur, et guttur nostrum meditatorium¹ efficitur latrinarum? Dumque volumus prolixioris inediæ famam querere [Al. fama carere], tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam jejunium appellandum est, quam crapula, ac fetens et molesta digestio.

13. Dicæarchus², Xenophon, Chæremon. — Di-

¹ *Nostrum meditatorium.* Sic lege cum Erasmo, et omnibus mss. codicibus nostris. Idem verbum reperies in epistola ad Fabiolam de XLII mansionibus Israelitarum in deserto, tom. II editionis nostræ, col. 60f, in fine. Est autem *meditatorium* locus exercitiorum sive meditamentorum. Unde pulchre meditatorium vocavit guttur nostrum, quia hoc in eo agitur et illud ibi incipit et præparatur, quod postea latrina suscipit et devorat. Vide Tertullianum de Jejuniis. MARTIAN. Alibi *mediatorium*, quod minus placet. Sumptus autem est locus iste, illudque vocabulum ex Tertulliani lib. de Jejuniis adversus Psychicos, cap. 6: *Cum totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoreibus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum.* Vid. in epist. ad Fabiolam de Mansionibus. 42.

² Ex eodem Porphyrio, ὁ περιπατητικὸς Δικταρχος, ὃς τὸν ἀρχαῖον βίον τῆς Ἑλλάδος ἀφηγοῦμε-

A cæarchus in libri Antiquitatum, et descriptione Græciæ, refert sub Saturno, id est, in aureo sæculo, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed universos vixisse frugibus et pomis, quæ sponte terra gignebat. Persarum regis Cyri vita Xenophon octo voluminibus explicat: polenta et cardamo et sale ac pane cibario eos asserens vicitare. Lacedæmoniorum mensæ frugalitatisque et suprascriptus Xenophon et Theophrastus, et omnes pene scriptores Græciæ testes sunt. Chæremon³ Stoicus, vir eloquentissimus, narrat de Vita antiquorum Ægypti sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis curisque postpositis semper in templo fuerint; et rerum naturas, causasque ac rationes siderum contemplati sint; nunquam mulieribus se miscuerint; nunquam cognatos et propinquos, ne liberos quidem 343 viderint, ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire: carnibus et vino⁴ semper abstinerint, propter, tenuitatem sensus et vertiginem capitis quam ex parvo cibo patiebantur; et maxime propter appetitum libidinis, qui ex his cibis et ex hac potione nascuntur. Pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum. Et si quando comedebant, tusum [Al. consum et tusum] pariter hysopum sumebant in cibo, ut escam graviolem illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant, verum et ipsum parum, propter nauseam et asperitatem gustus leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cum ovum quoque pro carnibus vitaverint, et lac? Quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato? Cubile⁵ eis de foliis palmarum, quas *baias* vocant, contextum erat: scabellum⁶ accline, et ex una parte obliquum, in terra pro pulvillo capiti supponebant, bidui triduique in ediam sustentantes. Humores [Al. Et homores] corporis, qui nascuntur ex otio et ex mansione unius loci, nimia victus castigatione siccabant.

14 *Judæorum sectæ, Magorum tria genera apud Persas Gymnosophistæ Indorum. Præcepta tria in templo Eleusina. Antisthenes quis?* — Josephus in secunda Judaicæ captivitatis Historia, et in octavo

voç. etc., quæ si libuerit, consules. Vide et Suidam, et Varronem de Re rustica. l. II, c. 1, ubi id ipsum recitat ex Dicæarcho: paulo infra Ciceronem ad D Quinctum fratrem lib. I Ep., *Et si non* etc.

³ Totum hoc capitulum ad Josephi usque testimonium, ex Porphyrio vertit, quod tantum indico brevitate studio. Antea erat *Chæremon*.

⁴ Expungo se voculam, quæ in mss. non habetur, et quædam leviora alia restituo.

⁵ Dixerat Porphyrius: Κλίτη δὲ αὐτοῖς ἐκ τῶν ὀπεδίων τοῦ φοίνικος, ἃς καλοῦσι βάις ἐπέπλαστο. Hieron., *cubile eis de foliis palmarum*, etc. Sed facile σπαδίων in Porphyrio legendum est pro ὀπεδίων, vertendumque de palmarum termitibus.

⁶ Erat *acclive*. In regula S. Pachonii ex emendatione nostra, *Nemo dormiens supponat nisi reclinem sellulam*. Vid. supra pag. 68, not. ordine prima.

decimo Antiquitatum libri, et contra ¹ Appionem A duobus voluminibus, tria describit dogmata Judæorum : Phariseos, Sadduceos, Essænos. Quorum novissimos miris effert laudibus, quod et ab uxoribus et vino et carnibus semper abstinerint (*Al.* abstinerent), et quotidianum jejunium vertent in naturam. Super quorum vita et Philo, vir doctissimus, proprium volumen edidit. Neanthes Cizycenus, et Asclepiades Cyprius, ætate qua Pygmalion in Oriente regnabat, scribunt esum carni-um ² non fuisse. Eubulus ³ quoque, 344 qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera magorum, quorum primos, qui sint doctissimos et eloquentissimos, excepta farina et olere, nihil amplius in cibo sumere. Apud Eleusinam, etiam volucris et piscibus, et quibusdam pomis abstinere, solemne est. Bardesanes, vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos, gymnosophistas dividit : quorum alterum appellat Brachmanas ; alterum Samanæos : qui tantæ continentiæ sint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium, vel publico orizæ, vel farinæ alantur cibo ; et cum rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque suæ provinciæ in illorum precibus arbitrari sitam. Euripides, in Creta Jovis prophetas non solum carnibus, sed et coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantum præcepta in templo Eleusinæ residere scribit : honorandos parentes, venerandos deos, carnibus non vescendum. Orpheus in carmine suo esum carni-um ⁴ penitus detestatur, Pythagoræ, Socratis C Antisthenis, et reliquorum frugalitatem referrem in confusionem nostram : nisi et longum esset, et proprii operis indigeret. Hic certe est Antisthenes,

¹ Nullibi Josephus nedum libro contra Appionem Essenos tradit vino et carnibus abstinuisse aut quotidie jejunasse. imo contrarium docet lib. II de Bello. Sunt vero Esseni perpetuo jejunantes, nec unquam carne aut vino utentes a Philone literis commendati. Minime tamen Hieronymus culpandus est, qui non ex Josepho hæc tradit, sed ex Porphyrio, a quo multa ex eo libro II contra Appionem laudantur, quæ hodie non inveniuntur. Vid. librum de Abstinencia IV, 41, 42, 43.

² Perperam hactenus editi, quin etiam mss. *Eantes* legerant. pessime vero Erasmus *Evantes*. Corrigendum *Neanthes* monuit Diogenes Laertius lib. VII in Empedocle, ubi illum ita vocat de nomine, et de Pythagoricis tradit scripsisse. Evicit autem in primis Porphyrii testimonium, quod constanter Hieronymus interpretatur. Προϊόντος δὲ τοῦ χρένου, ὡς φησι Νειάνθης ὁ Κυζηκηνός, καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Κύπριος κατὰ Πυγμαλίωνα τὸν γένει μὲν Φοίρηνια, βασιλεύσαντα δὲ Κυπρίων, τὴν σαρκοφαγίαν παραδεχθῆναι, ἐκ τῆς τοικύτης παρανομίας, etc. Vid. etiam Justin. lib. XVIII.

³ *Eubulus quoque*. Non exstant hodie illi libri Eubuli, Plin. lib. XXXVI, cap. 8, pro *Mithra* scribit *Mitres*, qui in Solis urbe regnabat. MARTIAN. — Iterum Porphyrii textum conferre libet : Διήρτητο ἔα οὕτοι εἰς γένη τρία, ὡς φησι Σύμβουλος (lege Εὐβουλος) ὅπερ τὴν τοῦ Μίθρα ἱστορίαν ἐν πολλοῖς βιβλίοις ἀναγράφας ὧν οἱ πρῶτοι καὶ λογιώτατοι,

qui cum gloriose docuisset rhetoricam, audisset-que Socratem ⁵, dixisse fertur ad discipulos suos : Abite, et magistrum quærite ; ego enim jam reperi, Statimque venditis quæ habebat, et publice distributis, nihil sibi amplius quam palliolum reservavit Paupertatisque ejus et laboris, et Xenophon testis est in Symposio, et innumerabiles libri ejus : quorum alios philosophico, alios rhetorico genere conscripsit (*Al.* scripsit). Hujus Diogenes ille famosissimus sectator fuit, potentior rege 345 Alexandro et naturæ victor humanæ. Nam cum discipulorum Antisthenes nullum reciperet, et perseverantem Diogenem remove non posset, novissime clava minatus est (*Al.* minatus), nisi abiret. Cui ille subjectis dicitur caput atque dixisse ; Nullus tam durus baculus erit, qui me a tuo possit obsequio separare. Refert Satirus ⁶, qui illustrium virorum scribit historias, quod Diogenes palliolo duplici usus sit propter frigus : peram pro cellario habuerit : secumque portarit clavam ob corpusculi fragilitatem qua jam senex membra sustentare solitus erat, et ἡμερόβιος vulgo appellatus sit, in præsentemhoram poscens a quolibet, et accipiens cibum. Habitavit (*Al.* habitabat) autem in portarum vestibulis et porticibus civitatum. Cumque se contorqueret in dolio, volubilem se habere domum jocabatur, et se cum temporibus immutantem. Frigore enim os dolii vertebat in meridiem ; æstate ad septentrionem, et utcunque sol se inclinaverat, Diogenes simul prætorium ⁷ vertebatur. Quodam vero tempore habens ad potandum caucum ligneum ⁸, vidit puerum manu concava bibere, et elisisse illud fertur ad terram, dicens : Nesciebam quod et natura haberet poculum. Virtutem ejus et continentiam mors quoque indicat. Nam eum ad agonem Olympicum, qui

οὐτ' ἐσθίουσιν ἐμψυχον, οὔτε φονεύουσιν. Ἐμμένουσι δὲ τῇ παλαιᾷ τῶν ζώων ἀποχῆ. Confer Laertium quoque in Proœmio Bardesanis. Euripidis, et Xenocratis exempla ex eodem Porphyrio repete.

⁴ Adverbium *penitus* suffeci ad mss. fidem. Paulo post vetus edit. *proprii operis indigeret officio*.

⁵ Addit Victorius ex antiquis exemplaribus, *de paupertate disputantem*. Vid. Ciceronem de Antisthene disserentem lib. III de Oratore, et Laertium, qui unum Antisthenem inter Socratis discipulos, a Theopompo laudatum tradit.

⁶ Satyrum huncce doctum virum in Prologo libri de Viris Illustribus iterum laudat Hieronymus. Vid. D Volfium lib. III de Historicis Græcis.

⁷ Elegantem nempe ac magnifice exstructam domum Prætoria enim prp urbanis villis, ac deliciarum locis accipiebantur. Exemplo habes in Suetonio.

⁸ Reposui *caucum* pro *caveum*, quod Martianus legit, vel *cavum*, ut habent editiones aliæ. Est enim *caucum* poculi genus, quod Spartianus memorat, ubi Pescennium tradit militibus interdixisse, *in cauco argenteo expeditionis tempore bibere*. Neque inficior *caveum* quoque poculi genus fuisse, ut ex Trebellio Pollione in Claudio colligitur, nisi si loci illi cubant in mendo : *in caveos et scyphos pondo undecim*, item *in caveos et zuma pondo undecim*. Sed quam præferimus lectionem mss., duo præstantiores confirmant et Gravius quoque. Apud Laertium habetur κοτύλην.

magna frequentia Græciæ celebrabatur, jam senex pergeret, febrî in itinere dicitur apprehensus, ac cubuisse [Al. incubuisse] in crepidine viæ: volentibusque eum amicis, aut in jumentum, aut in vehiculum tollere, non acquievit: sed transiens ad arboris umbram locutus est: « Abite, quæso, et spectatum pergite: hæc me nox aut victorem probabit, aut victum. Si febrem vicero, ad agonem veniam: si me vicerit febris¹, ad interna descendam. ibique per noctem eliso gutture, non tam mori se ait, quam febrem morte excludere. Unius tantum philosophi 346 exemplum posui, ut formosuli nostri et torosuli², et vix summis pedibus adumbrantes vestigia: quorum verba in pugnis sunt, et syllogismi in calcibus: qui paupertatem apostolorum et crucis duritiam, aut nesciunt, aut contemnunt, imitentur saltem gentilium parcitatem.

15. *Exempla ex Scriptura. Secunda inscriptio tabularum. Jejuniarum commendatio. Monachorum incunabula.* — Hæc de argumentis³ philosophorum exemplisque disserui. Nunc ad exordium generis humani, id est ad nostra, transiens docebo primum Adam in paradiso accepisse præceptum, ut cætera poma comedens, ab una arbore jejunaret. Beatitudo paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quandiu jejunavit, in paradiso fuit; comedit, et ejectus est; ejectus statim duxit uxorem. Qui jejunus in paradiso virgo fuerat, satur in terra matrimonio copulatur; et tamen ejectus, non protinus accepit licentiam carniarum vescendarum; sed tantum poma arborum et fruges segetum, et herbarum olera ei traduntur in cibum; ut exul quoque paradisi, non carniarum, quæ in paradiso non erant, sed similitudine frugum paradisi vesceretur. Postea vero videns Deus quod diligenter appositum esset ad malitiam cor hominis ab adolescentia, et spiritus ejus in his permanere non posset quia [Al. qui] erant caro, opera carnis diluvio condemnavit, et avidissimam hominum gulam probans dedit eis licentiam comedendarum carniarum: ut dum sibi intelligunt licere omnia, non desiderarent magnopere quod licebat⁴; ne mandatum in causam vertèrent prævaricationis. Quanquam et tunc ex parte imperatum jejunium sit. Nam cum alia munda dicantur, alia immunda: et in Arca Noe de im-

¹ Nomen febris vetus edit. cum duobus mss. sufficiunt.

² Mss., *torosuli*. Vid. quæ in Epistolis de hoc verbo non semel diximus, *Trossulos, quasi torosulos dictos. hoc est, bene habitos, et masculorum toris prævalidos*. Nonnius notat: et Persius, *Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis*.

³ Editti, *Hæc de argumentis, etc.*, renuentibus mss. Quæ hinc sequuntur de jejuniarum commendatione ab exordio fere omnia ex Tertulliani libro de Jejuniiis capp. 3 et 4 expressa sunt, quæ studiosus lector conferre per otium poterit. Nos quædam subinde annotabimus.

⁴ Olim erat, *desiderent magnopere quod non licebat*. Mox addit vetus editio, *imperatum de immundis animalibus jejunium sit*.

⁵ Gravius et *pepones, et porras, alliaque, etc.* Mox

A mundis bina, de mundis introducantur. imparia (et utique immundorum esus ablati sit, ne sine causa dicerentur immunda), ex parte jejunium dedicatum est, docens abstinentia omnium 347 in quorundam recisione, Cur perdidit Esau primogenita sua nonne propter cibum? impatientiamque gulæ lacrymis emendare non potuit, Ejectus de Ægypto populus Israel, et in terram repromissionis lacte et melle manantem introducendus, Ægyptias carnes, et pepones⁵ alliaque desiderat, *Utinam, inquit, obissemus percussi a Domino in terra Ægypti, quando super ollas carniarum sedebamus* (Exod. xv. 3) ! Et iterum ! *Quis nos vescet carniarum⁶ ? Venerunt in mentem nobis pisces quos in Ægypto comedebamus gratis, et cucumeres, et pepones, et porri, et cepe, et allia. At nunc anima nostra arida, nihil nisi manna oculi nostri conspiciunt* (Num. xi, 4J6.) Angelorum cibum contemnentes, carnes Ægyptias suspirabant. Moyses quadraginta diebus et noctibus jejunus in monte Sina, etiam tunc probans non in pane solo vivere hominem, sed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur: populus autem satur [Al. saturatus] idola fabricatur. Ille, vacuo ventre, legem accipit scriptam digito Dei. Iste, manducans et bibens, consurgensque ludere, aurum conflat in vitulum, et Ægyptium bovem præfert Domini majestati. Tot dierum labor, unius horæ saturitate perit. Frangit audacter Moyses tabulas: sciebat enim Dei sermonem non posse audire temulentos. *Incrassatus est, et pinguefactus, et dilatatus, et recalcitravit* (Al. *calcitravit*) *dilectus, et dereliquit Dominum* (Al. *Deum*), *qui fecerat eum, et accessit a Deo* (Al. *Domino*) *salutari suo* (Deut xxxii, 15). Unde et in eodem Deuteronomio præcipitur: *Ne cum manducaveris et biberis. et domos optimas⁷ ædificaveris, ovibus et bubus tuis multiplicatis, et argento et auro, extollatur cor tuum, et obliviscaris Domini Dei tui* (Deut. viii, 12-14). Denique manducavit populus et incrassatum est cor ejus, ne videret oculis, et audiret auribus, et corde conjiceret (Al. *continere*): et ultimam jejunantis Moysi, 348 et juxta Hebraicam veritatem, Dei confabulatione cornutum, pastus⁸ et pinguior populus sustinere non potuit. Quamobrem et Dominus noster atque Salvator non ob indifferentiam virginitatis et nuptiarum, ut quidam putant,

pro Domino erat Deo, contra Hieronym. mss. ipsumque Scripturæ textum,

⁶ Victorius quod Latine *vescet* non reperitur, substituit *pascet*. Vulgata, *quis dabit nobis ad vescendum ?* In fine testimonii verbum *conspiciunt* non habet Veronensis liber, sed *nihil nisi manna oculi nostri*.

⁷ Sic habent mss. nostri *optimas*: sic quoque LXX, *οικίας καλὰς*: sic denique Victorius emendaverat. Martianus tamen *opimas* denuo ex Erasmo obtrudit in scio leiori.

⁸ Ex Tertulliani lib. supra laudato: « Cum quidem nec ipsum Moysen Deo pastum, in ediamque ejus nomine saginatam, constanter contemplari videret pinguior populus. » Et mox: « Merito igitur etiam in carne se Dominus ei ostendit, collegæ jejuniorum suorum non minus et Hebræ. »

sed ob jejuniorum consortia, Moysen et Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria. Quamquam Moyses et Elias typum proprie Legis Prophetarumque monstraverint [Al. monstrarent] : sicut manifeste Evangelii ¹ Scriptura testatur : *Dicebant ei exitum quem completurus* [Al. impleturus] *erat in Jerusalem* (Luc. ix, 31). Passionem enim Domini non virginitas et nuptiæ, sed Lex nuntiat et Prophetæ. Quod si contensiose in Moyse nuptias, in Elia virginitatem dixerint demonstrari, breviter audiant, Moysen mortuum et sepultum, Eliam igneo curru raptum, ante immortalem esse cœpisse, quam mortuum. Sed nec secunda conscriptio tabularum absque jejuniis potuit impetrari. Quod ebrietas perdidit, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per jejunium redire in paradysum, unde per saturitatem fueramus ejeti. In Exodo adversus Amalec, oratione Moysi, et totius populi, usque ad vesperam jejunio dimicatum est (Exod. xvii, 12). Jesus filius Nave stationem ² imperavit soli et lunæ : et inediam plus quam unius diei, victoris exercitus protelavit (Josue x, 13). Saul, sicut in Regnorum primo libro scribitur : *Maledictus, inquit, qui ederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis* [Al. inimico meo]. *Et non gustavit omnis populus ejus, et tota terra prandebat* ³ (I Reg. xiv, 24). Tantaque fuit auctoritas stationis semel Domino destinatae, ut Jonathas ⁴, qui causa victoriæ exstiterat, deprehenderetur sorte, et ignorantie crimen declinare non posset, patrisque in se concitaret manum, et vix populi precibus salvaretur. Elias quadraginta dierum ⁵ jejunio præparatus, Deum vidit in monte Oreb [Al. Choreb], et audit ab eo : *Quid tu hic, Elia* (Isa. xxii, 46)? Multo familiarior ista vox, quam illa in Genesi, *Adam, ubi es* (Genes. iii, 9)? Illa enim pastum terrebat et perditum : hæc jejunanti famulo blandiebatur. Congregatum Samuel populum in Masphat, indicto jejunio roboravit, et fecit hostibus fortiozem. Assyriorum impetum, et potentiam Sennacherib, Ezechias, regis lacrymæ, saccus, et humiliatio victus, fregit, prostravit et vicit. Et e contrario civitas Ninive; im-

minentem iram Domini jejuniorum miseratione detorsit : quam ⁶ et Sodoma placasset et Gomorrha, si voluisset agere pœnitentiam, et lacrymas [Al. lacrymis] pœnitentiæ patrocinate conciliare jejunio. Achab rex impiissimus, ut sententiam Dei subterfugeret, et eversio domus ejus differretur in posteros, jejunio impetravit et sacco. Anna uxor Helcanæ inanem cibo ventrem, filio meruit implere. Periclitantur in Babylone Magi, omnis convector et hario lus et aruspex cœditur (Dan. i et ii). Daniel et tres pueri relationem merentur jejunio : et pasti leguminibus, pulchriores sunt et prudentiores his de mensa regis carnibus vescebantur. Deinde scriptum est, quod Daniel tribus hebdomadibus jejuna-
Bverit : panem suavem non comederit : caro et vinum non intraverit os ejus : oleo unctus non sit ; et ⁷ venerit ad eum angelus, dicens : *Daniel, homo miserabilis es* (Dan. ix, 23). Qui Deo miserabilis apparuerat, post jejunium leonibus in lacu fuit [Al. fuerat] horribilis. Quam pulchra res, quæ placat Deum, leones mitigat, dæmones terret ! Mittitur ad eum (licet hoc in Hebraicis voluminibus non invenimus) Abacuc messorum prandium portans (Dan. xvi 26 seqq). Talem enim discophorum inedia meruerat hebdomadis. David periclitante filio, post adulterium ἐξμολόγησιν in cinere et jejunio facit, dicens, *Quia cinerem* ⁸ *tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (Psalm. ci, 40). *Et, Infirmata sunt in jejunio genua mea* (Psal. cviii, 24). C ⁹ Et certe jam audierat a Nathan ; *Dominus abstulit a te hoc peccatum* (II Reg. xii, 13). Samson et Samael vinum et siceram non bibunt. Erant enim filii repromissionis, et per abstinentiam jejuniumque concepti. Aron et cæteri sacerdotes ingressuri Templum, omne quod potest inebriare non potant, ne moriantur (Levit. x, 9). Ex quo intelligimus mori eos, qui in Ecclesia non sobrii ministrarint ⁹. Quamobrem exprobratur Israeli. *Potum dabatis Nazaræis meis vinum* (Amos ii, 12). Jonadab, filius Rechab, præcepit filiis suis, ut non biberent vinum usque in æternum. Quibus cum offerret Jeremias ¹⁰ vinum ut

¹ Vocem Evangelii, quæ deerat, sufficiunt mss. omnes.

² Intellige obvio Ecclesiastico sensu jejunium, aut saltem duplicem ejus nominis significationem alludi, Tertullian. *Ipsis elementis stationem imperavit*. Vid. quæ infra subnoctimus not. D

³ Sunt qui cum negandi particula *et tota terra non prandebat* legendum hic quoque apud Hieronymum contendunt, quemadmodum penes Tertullianum adversus Psychicos, cap. 10. Pamelius legit. *Et vulgatus quidem interpres diverso longe sensu, Et tota terra venit in saltum*. Sed ut nihil de Hebraici textus lectione dicam, quam cum Septuaginta virali componere operæ pretium sit, aio, ex Græcis *οὐκ ἔφαγε ἢ γὰρ ἠρίσθη* factum in veteri Latina versione, *et tota terra prandebat*, absque negandi particula, quam nefas erat Pamelio atque aliis in veterem scriptis intrudere.

⁴ Martianus post Erasmus contra emendationum codicum fidem, et minus concisane, ut Jona-

tham..... *deprehenderet sors*. Denuo Tertullianus, « Tantam autem Deus præstitit auctoritatem edicto stationis (jejunii scilicet) illius, ut Jonatham, » etc.

⁵ Iterum ex Tertulliano : « Quid tu, Helia, hic ? Multo amicior ista vox quam, Adam, ubi es ? Illa enim pasto homini minabatur, ista jejunio blandiebatur. »

⁶ Idem Sodoma quoque et Gomorrha evasissent, si jejunaissent. Et paulo post, « Anna quoque ambiens uxor Helcanæ ventre sterilis impetravit facile a Deo inanem cibo ventrem filio implere. »

⁷ Hic quoque conferendus est Tertullianus : « Veni, inquit, demonstrare tibi, quatenus miserabilis es jejunando scilicet, » etc.

⁸ Alias, et in aliquot mss., *Cinere sicut panem manducavi*.

⁹ Iisdem prope verbis Tertullianus. *Adeo morientur, qui non sobrii in Ecclesia ministraverint*.

¹⁰ Mss. Veronensis ac Cisterciensis, *offerret Jeremias ut biberent, absque vinum*.

biberent, et illi libere nolissent, loquitur Dominus per Prophetam: *Quia obedistis præcepto Jonadab patris vestri, non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus* (Jerem. xxxv, 8). In foribus Evangelii¹, Anna filia Phanuelis univira inducitur, æemperque jejunans; et Dominum virginem longa castitas longaque jejunia susceperat. Præcursor ejus et præco Joannes² locustis alitur, et silvestris melle, non carnibus: habitatioque deserti et incunabula monachorum, talibus inchoantur alimentis. Sed et ipse Dominus baptisma suum quadraginta dierum jejunio dedicavit; et acriora dæmonia docuit non nisi oratione et jejuniis posse superari. Cornelius centurio, ut Spiritum sanctum acciperet antequam baptisma, cleemosynis meruit, crebrisque jejuniis. Paulus apostolus post famem et sitim, et cæteros labores suos, et pericula latronum, naufragia, solitudines (Al. naufragii solitudinis), crebra jejunia enumerat. Et discipulo Timotheo dolenti stomachum, et infirmitates plurimas sustinenti, suadet vini modicam potionem: *Jam noli, inquit, aquam bibere* (I Tim. v, 23). Cui autem dicit, *jam noli aquam bibere*, ostendit eum aquam ante potasse. Quod non concederet, nisi crebræ infirmitates et dolor stomachi postulassent.

16. *Hæretici cibos refugientes.*—Reprobat quidem Apostolus (I Tim. iv, 3) eos, qui prohibebant nuptias, et jubebant [Al. prohibebant et jubeant] 351 cibis abstinere, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed et Marcionem designat, et Tatianum, et cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda et contemnenda et abominanda opera Creatoris. Nos autem creaturam omnem laudamus Dei: et maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati. *Vir quippe in laboribus laborat sibi, et vim facit in interitum suum* (Prov. xvi, 26. sec. LXX). Et, *A diebus Joannis Baptistæ* (jejunatoris et virginis) *regnum cælorum vim patitur. et violenti diripiunt illud* (Matth. xi, 12). Timemus enim ne ab adventu æterni judicis, sicut in diebus diluvii, et eversio- nis (Al. eversione) Sodomæ et Gomorrhæ, deprehendamus manducantes, et bibentes, et nubentes, et nuptui tradentes. Nam et diluvium, et ignis de cælo saturitatem pariter, et nuptias quas dele- ret invenit. Nec mirum, si omne³ quod in ma- cello venditur, Apostolus emi jubeat, et comedi (I Cor. x, 25): cum idololatris et adhuc in tem-

¹ Item ex Tertulliano: « In limine Evangelii Anna prophetissa, filia Phanuelis, quæ infantem Dominum et agnovit, et multa super eo prædicavit, expectantibus redemptionem Israelis, post egregium litu- tum veteris et univiræ viduitatis jejuniorum quoque testimonio augetur, ostendens in quibus officiis as- sideri ecclesiis debeat, et a nullis magis intelligi Christum, quam semel nuptis et sæpe jejunis. Ipse mox Dominus baptisma suum, et in suo omnium, jejuniis dedicavit, » etc. Et mox, « etiam adversus viriora dæmonia jejuniis præliandum. »

² Nomen Joannis præstantiores mss. hic non

plis idolorum, quasi idolothyta vescantibus, pro summa abstinentia fuerit, cibis tantum abstinere Gentilium. Quod si loquitur ad Romanos: *Is qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet* (Rom. xiv, 3); non inter jejunia et saturitatem æqualia merita dispensat; sed contra eos loquitur qui in Christum credentes, adhuc judaizabant: et eos qui ex gentibus (Al. gentilibus) crediderant, monet, ne scandalizent illos cibo suo, qui adhuc in fide infirmiores erant. Denique et in consequentibus (Al. continentibus) hoc ipsum sonat: *Scio et confido in Domino Jesu, quod nihil commune per seipsum est, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulat. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca [Al. escæ] et potus* (Ibid. 14 seqq). Ac ne quis putaret hoc de jejuniis dici, et non de superstitione Judaica, statim edisserit: *Alius credit manducare omnia. Qui autem infirmus est, olera manducat* (Ibid. 2). Et rursum: *Alius judicat diem plus quam diem, alius judicat omnem diem. Unusquisque 352 in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo* (Ibid. 5 seqq). Qui enim adhuc infirmi erant in fide, et alias carnes mundas, alias arbitrabantur immundas: et inter diem et diem esse aliquid existimabant, verbi gratia, sanctius esse sabbatum, et neomenias, et scenopegiam, quam reliquos dies, jubentur olera manducare, quæ indifferenter comeduntur ab omnibus. Qui vero firmioris erant fidei, omnes carnes et dies omnes æquales esse credebant.

17. *Jejunium Christianorum. Sepulcra concupiscentiæ perseverant. Jejunii sanctificatio.*— Illud autem quod proponere ausus est⁴ [Al. es], Dominum voratorem et potatorem vini a Pharisæis appellatum: et quia ad epulas ierit nuptiarum, et convivia non despexerit peccatorum, æstimo quod nobiscum faciat. Iste est Dominus, ut arbitraris, vorator, qui quadraginta diebus Christianorum jejunium sanctificavit [Al. sanctificat]; qui beatos appellat esurientes et sitientes; qui escam habere se dicit, non quam discipuli suspicabantur, sed quæ in perpetuum non periret; qui de die agnoscunt.

³ Tertullianus, « Si claves macelli tibi tradidit, permittens esui omnia ad constituendum idolothytorum exceptionem, non tamen in macello regnum Dei inclusit. »

⁴ Antea, *ausus est*. Tertullianus: « Dominum quoque quam indigne ad tuam libidinem interpretaris passim manducantem et bibentem! Sed puto quod etiam jejunarit, qui beatos non saturatos, sed esurientes et sitientes pronuntiavit; qui escam profitebatur, non quam discipuli existimarent, sed paterni operis perfectionem, » etc.

crastino cogitare (*Al.* cogitari) prohibet : qui cum esurisse et sitisse dicatur, et isse frequenter ad prandia, excepto mysterio, quod in typum suæ passionis expressit, et probandi corporis veritate. nec gulæ scribitur servisse, nec ventri. Qui divitem purpuratum propter epulas narrat in tartaro et Lazarum pauperem ob inedia dicit esse in sinu Abrahæ. Qui quando jejunamus. ungi ¹ caput et lavari faciem præcipit, ut non gloriæ hominum, sed Domino jejunemus. Qui comedit quidem post resurrectionem partem piscis assi et favum, non propter esuriam et gutturis suavitatem ; sed ut veritatem sui corporis comprobaret. Nam quotiescunque mortuum suscitavit jussit ei dari manducare, ne resurrectio phantasma putaretur. Et Lazarus post resurrectionem, ob hanc causam scribitur cum Domino iniisse convivium. Nec hoc dicimus, quod negemus pisces et cætera (si voluntas fuerit) in cibo esse sumenda : sed quomodo nuptiis virginitatem ita saturitati et carnibus jejunium spiritumque **353** præferimus. Si autem Petrus hora sexta pransurus ascendit in cœnaculum, fortuita esuries non facit præjudicium jejuniorum. Hoc enim modo et Dominus, quia ad puteum Samaritanæ hora sexta fessus resedit. et bibere voluit, omnibus incumbet necessitas, velint nolint, hoc tempore bibendi. Potuit autem fieri ut vel sabbatum esset, vel dies Dominicus : et post bidui, triduique jejunium, hora sexta esurierit ; nunquam enim crediderim Apostolum, si ante unam diem cœnaverat, epulisque distentus fuerat [*Al.* erat] alterius diei esurisse meridie. Quod si cœnavit pridie, et sequenti die esurivit ante prandium, non existimo ² quod usque ad satietatem comederit, qui tam cito potuit esurire. Porro si per Isaiam loquitur Deus, quod non tale jejunium elegerit, dicens : *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ, et subjectos percutitis, et in judicia et in lites jejunatis, et cæditis pugnis : non tale jejunium elegi, dicit Dominus (Isa. LVIII, 5 seq.).* Quale elegerit, docet : *Frange esurienti panem tuum, et pauperes sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti : et domesticos seminis tui ne despicias (Ibid. 7),* Non igitur jejunium reprobat, sed quale vellet, ostendit : neque enim ventris esuries accepta est Deo, quam lites et rapinæ et libidines destruunt. Si non vult jejunium Deus (*Al.* Dominus), quomodo in Levitico præcipit ut septimo mense, decima mensis, omnis populus jeju-

net usque ad vesperam : et qui non afflixerit animam suam, moriatur et exterminetur de populo suo ? Quare sepulcra concupiscentiæ ³, ubi carnibus deditus populus ruit, usque hodie in solitudine perseverant ? Et crassus populus ortygomemram scribitur ad choleram usque ructasse ? Cur homo Dei (*III Reg. XIII, 4*) ad cujus prophetiam manus aruerat regis Jeroboam, qui [*Al.* quia] manducavit contra edictum Dei, illico percussus est ? et leo qui asinam custodivit intactam, prophetæ levanti sede prandio non pepercit ? Qui jejunus miracula fecerat pransus (*Al.* pransurus) illico saturitatis pœnas luit. Sed et Joel clamat : *Sanctificate jejunium ; prædicate curationem (Joel I, 14 ; II, 15),* ut monstraretur jejunium **354** sanctificari cæteris operibus ; et sanctificatum jejunium, curationi proficere peccatorum. Quomodo autem virginitati veræ non præjudicat imitatio virginum diaboli ita nec veris jejuniis, Castum Isidis ⁴ et Cybeles, et quorundam ciborum in æternum abstinentia : maxime cum apud illos jejunium panis sagina carniū compensetur. Et sicut signa quæ faciebat Moyses, imitabantur signa Ægyptiorum, sed non erant in veritate : nam virga Moysi virgas magorum devorabat : ita per omnia quæ per æmulationem ⁵ Dei facit diabolus non religionis nostræ superstitio, sed nostra arguitur negligentia, id nolentium facere quod bonum esse, etiam sæculi homines non ignorant.

18. *Quarta propositio Joviniani.* — « Quarta propositio, quæ et extrema est, duos esse ordines. ovium et hircorum : alterum justorum, alterum peccatorum : alios stare a dextris, alios a sinistris ; et audire justos : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (Matth. xxv, 24).* Peccatoribus vero dici : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus (Al. paratus) est diabolo et angelis ejus (Ibid. 41),* Arborem bonam non posse malos fructus facere, nec malam bonos. Unde et Salvator loquitur ad Judæos : *Vos de patre diabolo estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis (Joan, VIII, 44).* Decem virgines proponit, stultas atque sapientes, et quinque, quæ oleum non habuerunt, remansisse extrinsecus : alias vero quinque, quæ sibi lumen bonorum operum præparaverant, thalamum intrasse cum sponso. Ascendit ad diluvium, et ait : Qui erant cum Noe justi servati sunt : qui vero peccatores, omnes in commune perierunt. Apud Sodomam et Gomorrhæ, exce-

¹ In aliquot mss., *Ungere caput nostrum et faciem lavari præcepit.*

² Veronensis, *Existimo quod non usque ad satietatem ; et paulo post, In diebus enim jejuniorum.*

³ Tertullianus : « Manent adhuc monumenta concupiscentiæ, ubi sepultus est populus carnis avidissimus, usque ad choleram ortygomemtra cruditando, » etc., etc.

⁴ Sic habent mss. omnes, sicque omnino legendum esse supra docuimus, quidve esset *Castus* explicavimus pag. 330 et seq., not. (col., 333. not. 5) Martianus ex præconcepta opinione *cossum*

hic quoque legit, erroremque esse putat veterum librorum, quod *Castum* scripserint, et *cossum* vermiculum esse ignorarint, Minime vero ipse intellexit. — *Cossum Isidis et Cybeles.* Mss. codices legunt *castum Isidis et Cybeles* ; sed error est, ni fallor veterum librorum, qui nesciebant *cossum* esse vermiculum, a quo abstinebant sacerdotes Isidis et Cybeles, ut antea observatum a nobis est. MARTIAN.

⁵ Mss., *ita et omnia quæ in æmulationem etc.* Tertullianus, « Illic divina constabat, quam diabolus divinarum æmulator imitatur », etc.

ptis duobus gradibus bonorum malorumque, nulla A diversitas invenitur. Qui est justus, eripitur; qui peccator, pari voratur incendio. Una salus liberatis unus interitus remanentibus. Ne paululum quidem a justitia declinandum, indicio est uxor Lot. Si autem, inquit, mihi opponis (Al. opponas) quare justus laboret in pace, aut persecutionibus, si nullus profectus est, nec majora 355 præmia: scias hoc eum facere, non ut plus quid mereatur, sed ne perdat quod accepit. In Ægypto quoque decem plagas æqualiter omnes sentiunt peccatores: et similes tenebræ domino et servo, nobili et ignobili regi imminent et vulgo. Sanctis vero Dei et populo Israel una erat lux. Sed et in mari Rubro justipariter transeunt, peccatores pariter obruuntur. Sexcenta hominum millia, excepta imbelli ætate et sexu, in deserto æqualiter liberantur. Per quadraginta annos cunctus Israel similiter laborat et moritur. Gomor mannae universis ætatibus una in cibo mensura est: vestitus pariter non deteruntur, capilli simul non augentur, barba in commune non crescit, calceamenta ex æquo omnibus durant. Non incalluere pedes: cibus in ore cunctorum æqualiter sapit. Ad mansionem unam pari labore et mercede pergebant. Omnis Hebræus æquale habet pascha, æquales scenopegias, æquale sabbatum, æquales neomenias. Septimo requietionis anno absque personarum discretione dimittitur, et in jubileo universa cunctis debita relaxantur, atque ad antiquam possessionem venditor redit. »

19, Parabolam autem in Evangelio (Matth. XIII, et Luc. VIII) seminantis, in qua in terra bona centesimus et sexagesimus et tricessimus fructus exoritur: et e contrario in terra mala, triplex sterilitatis varietas indicatur, in duos ordines dividit, bonæ terræ et malæ. « Et quomodo apostolis pro derelictis filiis et uxoribus, in alio Evangelio centies, in alio septies Dominus repromittit (Al. promittit), et in futuro vitam æternam (Matth. XIX, 29; Marc. X, 30; Luc. XVIII 30): nullaque distantia est inter centum, et septem; sic et in hoc¹ numerum non facere præjudicium, ubi hujus terræ fertilitas prædicatur: præsertim cum et Evangelista Marcus retrorsum numeret triginta, sexaginta et centum. Dicit Dominus: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo* (Joan. VI, 57). Sicut ergo sine aliqua differentia graduum Christus in nobis est; ita et nos in Christo sine gradibus sumus. Omnis qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum. et 356 ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan. XIV, 23). Qui justus est, diligit:

¹ Scilicet in hoc Evangelio, sive Evangelii exemplo: antea enim perperam legebatur in hoc numero pro numerum. Paulo post mss., sine aliqua differentia et gradibus Christus, etc.

² Duos mss. estis: et paulo post Gisterciensis qui crepituri sunt in me, et cum Veronensi, ut sicut ego, Pater, in te, et tu in me unum sumus, etc.,

qui diligit. veniunt (Al. venit) ad eum. Pater et Filius, et in ejus habitant (Al. habitat) hospicio, Ubi autem hujuscemodi habitator est, puto quod nihil deesse possit hospiti, Sin (Al. Si) autem dicit: *Multæ mansiones sunt apud Patrem meum* (Joan. XIV, 2), non in regno cælorum diversas significat mansiones: sed Ecclesiarum in toto orbe numerum quæ constat una per septem. Vado, inquit, et præparabo vobis locum (Ibid., 2), non loca. Si hæc repromissio proprie duodecim apostolorum est, ergo Paulus exclusus est de hoc loco, et electionis vas superfluum putabitur et indignus. Joannes et Jacobus, quia plus cæteris petierunt, non impetraverunt; et tamen non est dignitas eorum imminuta quia reliquis apostolis æquales fuerunt. *Nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti* (I Cor. III, 16, et VI, 19)? *Templum, inquit, est, non templa; ut similiter in omnibus habitatorem ostenderet Deum. Non pro his rogo tantum, sed pro illis qui credituri sunt per verbum eorum in me: sicut tu, Pater, in me et ego in te unum sumus: ita omnes unum sint in nobis. Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis: Dilexi eos, sicut me dilexisti* (Joan. XVII, 20-23). Et quomodo nos sumus Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus, sic et unus populus in ipsis sit, hoc est, quasi filii charissimi, divinæ consortes naturæ. Sponsa, soror, mater, et quæcunque alia putaveris vocabula, unius Ecclesiæ congregatio est, quæ nunquam est sine sponse (Al. sponsa), fratre, filio. Unam habet fidem, nec constupratur dogmatum varietate, nec hæresibus scinditur. Virgo permanet. Quocumque vadit (Al. vadet) agnus, sequitur illum: sola novit Canticum Christi.

20. » Si autem, inquit, mihi opposueris, *Stella a stella differt in claritate*, audies, differre stellam a stella, hoc est, spirituales a carnalibus. Omnia membra æqualiter diligimus, nec oculum præponimus digito, nec digitum auriculæ: sed in singulorum amissione, membrorum communis dolor est. Æqualiter introimus in hoc sæculum, et æqualiter de eo egredimur. Unus Adam terrenus, et alter cælestis. 357 Qui in terreno fuerit, a sinistris est et peribit: qui in cælesti, a dextris est, et salvabitur. Qui fratri dixerit fatue, et raca, reus erit gehennæ. Et qui homicida fuerit et adulter, mittetur similiter in gehennam. In persecutione qui incenditur, qui suffocatur, qui decollatur, qui fugerit, qui in carcere inclusus obierit: varia quidem luctæ genera, sed una corona victorum est. Inter sum fratrem qui semper cum patre fuerat, et qui eum postea pœnitens est receptus. nulla diversitas est. Operariis primæ horæ, et tertiæ, et sextæ, et nonæ,

quæ quidem lectio antiquior longe videtur esse, sive veteris Latine interpretationis. quam præ oculis habebat Jovinianus, tamen si Græco archetypo non respondeat. Ad eum modum iterum infra legitur, Vid. pag. 370, not. ordine prima, Denique dilexisti eos pro dilexi in mss. invenitur.

et undecimæ, unus denarius æqualiter redditur : A et quo magis admireris, ab his incipit præmium, qui minus in vinea laborarunt [Al. laborant]. »

21. Hieronymus. Prædicatio Antichristi vera. — His et hujuscemodi divinarum Scripturarum testimoniis, quæ ad perversitatem sui dogmatis calidus disputator inclinat, quis non tentetur etiam electorum Dei ? Et quod Joannes apostolus Antichristos dicit venisse multos (I Joan. II, 18), hæc vera est Antichristi prædicatio, quæ inter ipsum Joannem et ultimum pœnitentem nullam facit esse distantiam. Simulque miror, quomodo serpens lubricus et Proteus noster in variarum se mutet portenta formarum. Qui enim in coitu et saturitate Epicureus est, subito in retributione meritorum Stoicus efficitur. Hierosolymam Citio ¹, Judæam Cypro, Christum Zenone commutat. Si non licet a virtutibus paululum declinare, et omnia peccata sunt paria, ejusdemque criminis reus, qui panem ² esuriens surripuerit, et qui hominem occiderit : tu quoque maximorum scelerum reus teneris [Al. teneris]. Porro aliud est, si te dicas ne minima quidem habere peccata, et cum omnes apostoli et prophetæ, et sancti, juxta id quod in secunda propositione disserui, peccatores esse se plangent, solas de justitia glorieris. Ante nudo eras pede : modo non solum calcetis, sed et ornato. Tunc ³ pexa tunica et nigra subucula vestiebaris, sordidatus, ³⁵⁸ et pallidus, et callosam opere gestitans manum ; nunc lineis et sericis vestibus, et Atrebatum [Al. Atrebatum] ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, comæ C in occipitium frontemque tornantur : protensus ⁴ est aqualiculus, iurgunt humeri, turget guttur, et de obesis faucibus vix suffocata verba promuntur. Certe in tanta diversitate victus est vestitus, necesse est, aut hic, aut ibi esse peccatum. Non quod peccatum in cibo aut in vestibus asseram : sed quod varietas et commutatio in deterius reprehensioni proxima sit. Quod autem reprehenditur, a virtute procul est : quod a virtute procul est, vitio mancipatur : quod vitiosum arguitur, peccato jungitur. Quod peccatum est juxta tuam sententiam in sinistra parte, et hircorum grege de-

¹ Ex Citio enim urbe in Cypri insula Zenon Stoicorum princeps fuit ; unde Κίτιος vel Κίτιος Græce, Latine Cittieus appellatur. Vid. Quæstiones in Genesim cap. x et in Jerem. cap. II.

² Levissimam culpam gravissimo delicto comparat. Contra hactenus obtinuit in editis libris et plerisque etiam mss. gravissima alteri æque gravissimæ conferretur. Erat nempe panem esurienti surripuerit : et panem esurienti surripere idem sit atque hominem occidere ; nam etiam qui esurienti non dederit, occidit ; notumque illud ex Ambrosio. Si non pavisti, occidisti. E contrario si esuriens ipse surripiat, levissime omnium peccabit ; idque est quod Hieronymus conferre intendit, et confert revera in Veronensi ms. ex quo locum emaculavimus.

³ Ex Horatio hausit, Si forte subucula pexæ Trita subest tunicæ ; at, puto, multum diverso sensu, nisi si hic apud Hieronymum impexa sit legendum pro

scribitur [Al. ascribitur]. Aut reverteris igitur ad antiquum propositum, ut ovis possis esse ad dexteram : aut si priorem sententiam perversa pœnitentia commutaris : velis nolis, quanquam barbaram raseris, inter hircos numeraberis.

22. Propositionum Joviniani series. In scholis quid cantabant pueri. — Verum quid prodest luscum ⁵ vocare luscum, et accusatoris docere inconstantiam, cum propositionum series diluenda sit ? Oves et hædos a dextera et sinistra, duos justorum et peccatorum esse ordines non negamus. Arborem bonam fructus malos non facere, nec malam bonos, nulli dubium est. Decem quoque virgines sapientes et stultas, in bonas malasque dividimus. In diluvio liberatos justos, et peccatores aquis obrutos, non ignoramus [Al. non negamus]. In Sodoma et Gomorra ereptum justum, et impios igne consumptos, omnibus perspicuum est. Decem quoque plagis percussam Ægyptum, et Israel fuisse sospitem novimus. In mari Rubro transisse justos, et Pharaonem cum suo exercitu demersum, etiam in scholis cantant parvuli. Sexcenta millia in deserto cecidisse, quia increduli fuerint, et duos tantum terram repromissionis intrasse, Scripturæ docent, et ³⁵⁹ reliqua, quæ usque ad operarios vineæ, in duo bonorum et malorum ordines descripsisti. Sed quale est, ut quia inter bonos et malos divisio est, tu asseras inter ipsos bonos, vel e contrario malos, nullam esse distantiam, nihilque referre, utrum in pecore aliquis aries sit an ovicula ? Utrum primam lanam habeant, an secundam ? Utrum scabidum pecus sit et morbidum, an vegetum atque sussultans ? maxime cum Ezechiel oves rationabiles, et diversitatem inter pecus et pecus, suæ prophetæ auctoritate demonstret, dicens : Ecce ego judico ⁶ inter pecus et pecus, et inter arietes et hircos, et inter pecus pingue et macilentum. Pro eo quod lateribus et humeris impingebatis et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur (Ezech. xxxiv, 17, 20, 21). Et ut sciremus quæ ista sint [Al. sunt] pecora, statim intulit : Vos autem, greges mei ⁷, oves pascuæ meæ, homines estis (Ibid. 31). Idipsum ergo erit Paulus, et ille pœnitens, qui cum patris uxore dormierat, quia in

pexa ; nam pexa tunica pro nova et eleganti, et pretiosa accipitur a Latinis scriptoribus, atque ipso in primis Horatio. Fortasse autem Hieronymus acceperit pro villosa, sive quæ pecti deberet ob pilos. Græci eam vestem μιλύτιον vocant. Prudentius in Hym. Impexa villis virgo bestialibus. Et noster superiori lib., num. 40, sordidam tunicam dixit.

⁴ Gravius mallet propensus ex illo Persii :

Pinguis aqualiculus propenso sexquipedo exstat.

⁵ Iterum ex Persio Satira I :

..... Et lusco qui possit dicere luscum.

⁶ Ibidem mss., ecce ego judicabo juxta Græcum διακρίνω.

⁷ Veronensis greges mei, greges pascuæ meæ ; et paulo post quia semel a dextris est.

Ecclesiam post pœnitentiam receptus est : et quia simul a dextris est, in eadem cum Apostolo claritate fulgebit? Et quomodo in uno agello usque ad messem [Al. et] consummationem mundi zizania pariter frumenta que succrescunt? Quia consequentia pisces boni et mali sœgena [Al. sagina] Christi et reti evangelico continentur? Cur in typo Ecclesiæ, in arca Noe, diversa animalia, et pro qualitate meritorum, diversæ sunt mansiones? Cur astitit regina a dextris Domini [Al. tuis] in vestitu deaurato, circumdata varietate? Cur Joseph in forma Christi variam habuit tunicam? Cur Apostolus loquitur ad Romanos : *Unicuique sicut Deus¹ divisit mensuram fidei? Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum mensuram fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, et reliqua (Rom. xii, 3 seqq.). Et in alio loco : Alius iudicat diem plus quam diem, alius iudicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet (Rom. xiv, 5). Et ad Corinthios : Ego plantavi, 360 Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis² (I Cor. iii, 6 seqq.). Et rursum alibi : Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præterquam id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam : uniuscujusque opus apparebit. Dies enim Domini illud manifestabit³, quoniam in igne revelabitur, et singulorum opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (Ibid. 10 seqq.). Si is cuius opus arsit, et perit, et damnatum sustinuit laboris sui, perdet quidem laboris [Al. operis] præmium, sed ipse salvabitur, non tamen absque probatione ignis : ergo is cuius opus manserit, quod superædificavit, sine ignis probatione salvabitur, et inter salvationem et salvationem utique erit diversitas aliqua. Necnon in alio loco :*

¹ Duo mss., secundum quod Deus divisit.

² Ibidem mss., Dei agricultura, Dei ædificatio estis; et mox, mihi quasi sapiens architectus.

³ Ibidem, dies illud manifestabit, absque Domini, quod nomen neque in Græco habetur. Deinde, ut singulorum opus, etc. Denique, cuius autem opus

A Sic nos, inquit, existimet [Al. æstimet] homo quasi ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei [Al. ejus]. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (I Cor. iv, 1, 2). Vis scire, quoniam inter dispensatorem et dispensatorem sit multa distantia (non dico de malis et bonis, sed de ipsis bonis qui ad dexteram stant)? audi consequentia : Nescitis, quoniam qui in sacrificiis operantur, de sacrificiis comedunt : qui altario deserviunt, de altario participant? Sic et Dominus disposuit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere : ego autem non abutar horum aliquo. Non scripsi autem hæc, ut sic fiant in me. Melius est enim mihi mori quam ut gloriam meam quis evacuet. Si enim evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas quippe mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non [Al. nisi] evangelizavero. Nam si voluntate hoc ago [Al. fecere]. mercedem habeo. Si autem nolens, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Ut evangelizans 361 sine sumptu, ponam Evangelium Christi ; ut non abutar potestate, quæ data est mihi in Evangelio. Cum enim essem liber ex omnibus omnium [Al. omnibus] me servum feci, ut plures lucrifacerem (I Cor. ix, 13. seqq.). Nunquid potes dicere peccare eos, qui vivunt de Evangelio, et qui de sacrificiis participantur? Utique non : Dominus enim disposuit, ut qui prædicant Evangelium, de Evangelio vivant ; Apostolus autem qui non abutitur hac licentia, sed laborat manibus suis, ne quem gravet, et die ac nocte operatur, et ministrat his qui secum sunt, utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat.

C 23. Curramus ad reliqua. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et diversiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum [Al. operationis] sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem data est adaptio⁴ Spiritus juxta id quod expedit (I Cor. xii, 4 seqq.). Et iterum : Sicut corpus unum est, et membra plura habet : omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus est ; sic et Christus (Ibid. 12). Verum ne dicas in uno corpore diversa membra unum habere meritum, statim gradus describit Ecclesiæ, et ait : Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes⁵, et gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Nunquid omnes apostoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Æmulari autem dona majora, et adhuc excellentiorem

arserit.

⁴ Antea erat operatio. Contra mss. omnes, ut reposuimus, adaptio ; Græco etiam favente textu, φανέρωσις. Mox sicut enim corpus unum est, et membra plurima habet.

⁵ Falso antea erat, denique pro deinde.

viam vobis demonstro (*Ibid.* 28. *seqq.*). Cumque de charitatis virtutibus latius disputasset, adjecit: *Sive prophetiæ evacuabuntur sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII, 8, 9, 10), Et in consequentibus ¹: *Nunc autem manent fides, spes et charitas tria hæc. Major autem horum est charitas* (*Ibid.* 13). *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis* (*I Cor.* XIV, 4). Et iterum: *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare, Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis* (*Ibid.* 5). Et rursum: **362** *Gratias ago Deo, quod omnium vestrum magis ² linguis loquor* (*Ibid.* 18). Ubi diversa sunt dona, et alius major, alius minor est, et omnes spirituales appellantur, certe oves sunt, et stant a dextris, et inter ovem et ovem est aliqua diversitas. Loquitur quidem de humilitate Paulus apostolus: *Ego sum novissimus apostolorum qui non sum dignus vocari apostolus quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia sicut in me vacua non fuit, sed amplius omnibus illis laboravi. Non ego autem: sed gratia Dei quæ in me est ³* (*I Cor.* XV, 9, 10). Verumtamen in eo quod se humiliat, ostendit posse apostolos alios minores, alios esse majores, et qui utique vas electionis dicitur, et cunctis amplius laboravit, non est injustus Deus, ut obliviscatur operis ejus, et dispar meritum æquali mercede compenset. Dehinc legimus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificantur; unusquisque autem in suo ordine* (*Ibid.* 22). Quando (*Al.* Quoniam) unusquisque in suo resurgit ordine, utique diversa sunt merita resurgentium ⁴, *Non omnis caro, eadem caro; sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cælestia, et corpora terrestria; sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. Sic erit et resurrectio mortuorum* (*Ibid.* 39 *seqq.*). Quod tu scilicet doctus interpret sic exposuisti, ut diceres spirituales differre a carnalibus Ergo et spirituales et carnales in cælestibus (*Al.* cælis erunt, et jam non solum oves, sed etiam hirci tui conscendent regna cælorum, *Stella. inquit, a stella differt in claritate: non oves et hirci, sed oves, et oves, id est, stella et stella. Denique, Alia, inquit, claritas solis et alia claritas lunæ.*

A Ne stellam et stellam totum humanæ multitudinis assereres genus, solem posuit et lunam, quos certe inter hircos non poteris (*Al.* potest) numerare. *Sic, inquit, erit et resurrectio mortuorum, ut justii claritate solis luceant* (*Al.* fulgeant), et qui in sequenti gradu sunt, lunæ splendore rutilent, ut alius Lucifer sit, alius Arcturus, alius Orion, alius Mazuroth ⁵, et cætera stellarum vocabula quæ sacratæ in Job volumine **363** continentur. *Omnes enim, ait, manifestari nos oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque quæ gessit per corpus, sive bonum, sive malum* (*II Cor.* V, 10). Ac ne forsitan dicas, ante tribunal Christi nos manifestari, ut boni bona mali recipiant mala, in eadem Epistola docet: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX, 6). Certe et qui plus, et qui minus seminat de parte sunt dextra. Et cum unum sementis genus sit, tamen mensura et numero differunt. Scribit ad Ephesios idem Paulus: *Ut nota fieret nunc principatibus et potestatibus in cælis per Ecclesiam multiplex et varia sapientia Dei* (*Ephes.* III, 10). Cernis quod in diversis agminibus Ecclesiæ varia et multiplex sapientia Dei prædicetur? Necnon in eadem Epistola: *Unicuique autem nostrum data est gratia juxta mensuram gratiæ Christi* (*Ephes.* IV, 7): non quod mensura Christi diversa sit, sed tantum gratiæ ejus infunditur quantum valemus haurire ⁶.

C 25. Frustra igitur oves et hircos, quinque et quinque virgines, Ægyptios et Israelitas, et cætera hujuscemodi replicas, quia non est in præsentii retributio, sed in futuro. Unde et dies judicii in consummatione promittitur, quia nunc non est judicium. Sine causa enim appellatur dies extrema judicii, si modo judicat Deus. Impræsentiarum navigamus, luctamur, atque pugnamus, ut in fine perveniamus ad portum, coronemur, triumphemus. Tu autem perverse et lubricè præsentii sæculi conversationem in futurorum exempla proponis, cum utique hic injustitia sit, ibi justitia: donec intremus in sanctuarium Dei, et intelligamus in novissimis eorum. Non aliter sanctus, aliter peccator moritur. In eodem mari navigantibus eadem tranquillitas et tempestas est. Non aliter latro, aliter martyr occiditur. Nec alio modo de adulterio et prostibulis, alio de casti matrimonii nascuntur liberi. Certe Dominus et latrones æquali judicio crucifixi sunt. Si idem est hujus sæculi futurique judicium, ergo qui hic pariter crucifixi sunt, et in futuro similiter

¹ Erat antea, et in continentibus; deinde mss., major autem est his charitas.

² Voculam magis supplemus mss. quibus Græcus quoque concinit textus, μάλλον, magis.

³ Sed gratia Dei quæ in me est. In mss. codice Sangermanensis nostro et in altero monasterii sancti Petri Carnutensis legimus, sed gratia Dei mecum. Cæteri antiquiores retinent, sed gratia Dei, quæ in me est. MARTIAN. — In Corbeiensi quodam

codice, quemadmodum et in aliis duobus penes Martianæum, sed gratia Dei mecum.

⁴ Vox resurgentium in Veronensi ac Cisterciensi mss. non habetur.

⁵ Nomina stellarum in Job, quæ explicat in epistola 64, ad Fabiolam, num. 19. Vide ibi notam pag. 367.

⁶ Haud bene in aliis mss., quantum valemus audire.

habebuntur. Paulus et qui eum vinxerant, simul navigant, simul sustinent tempestatem, simul navi fluctibus dissipata in 364 littus evadunt, Negare non potes, quin inter vinctum et vincientes diversa sint merita. Et quomodo unum Apostoli militumque naufragium¹? Refert postea Paulus apostolus revelationem, et eos qui in navi fuerant dicit sibi a Domino esse donatos. Nunquid is, cui donantur, et qui donantur, unius meriti sunt? Decem sancti peccatricem possunt eruere civitatem. Lot cum filiabus ereptus est de incendio: liberati essent et generi, si exire voluissent. Et certe multa differentia est inter Lot et generos ejus. Liberatur Segor una urbs de Pentapoli, et quæ ejusdem meriti erat, atque uni sententiæ subjacebat, cui Sodoma et Gomorrha, Adama, et Seboim, sancti precibus custoditur. Ecce diversum meritum in Lot et Segor, tamen de incendio pariter evadunt. Latrunculi qui absente David vestaverant Sicleg, et uxores eorum et liberos in prædam duxerant, die tertia cæduntur in campo, et quadringenti homines ascensis camelis fugiunt. Die aliquam inter eos qui cæsi sunt, et qui fugere potuerunt, esse distantiam. Legimus in Evangelio turrem Siloe cecidisse super decem et octo viros, et obrutos occidisse. Certe, juxta sententiam Salvatoris, non soli fuerant peccatores; sed in formidinem reliquorum puniti sunt, ut pestilente flagellato, stultus sapientior fieret. Si omnium peccatorum unum est supplicium, injuste alius occiditur, et per mortem alterius alius commonetur.

25. *Christi corpus æqualiter accipimus. Decem virgines quid significant? Pilatus nolens tulit sententiam. Sex dies sæculi hujus.* — Opponis mihi Gomor mannæ, unamque mensuram, et vestitum et capillos, et barbam, et calceamenta, ex æquo fuisse Israelitarum; quasi non et nos Christi corpus æqualiter accipiamus. Una est in mysteriis sanctificatio, domini et servi, nobilis et ignobilis, regis et militis: quanquam pro accipientium meritis diversum fiat quod unum est. *Qui enim indigne manducaverit et biberit, reus erit violati corporis et sanguinis Christi (I Cor. xi, 27).* Nunquid quia et Judas de eodem calice bibit, de quo et cæteri apostoli², unius cum reliquis erit meriti? Quod si non vis recipere Sacramentum, certe omnes æqualiter vivimus, unum trahimus aerem, eodem humore irrigamur, iisdem cibis pascimur. Porro 365 si alimenta cocorum arte mutantur in melius et sit aliquid suavius condituris, hujuscemodi cibi non naturæ satisfaciunt, sed voluptati. Æque esurimus, æque algemus: simul contrahimur frigore, æstibus et calore dissolvimur. Sol quoque ipse et lu-

na, et omnis astrorum chorus, et pluviam, et mundus æqualiter nobis currunt, et iisdem omnes juxta Evangelium imbribus irrigamur, boni et mali, justis et injustis. Si præsentia exempla sunt futurorum, ergo et sol justitiæ æqualiter justis et peccatoribus, impiis et sanctis, Christianis et Judæis atque gentilibus orietur, cum Scriptura dicat: *Timentibus autem Dominum orietur sol justitiæ (Malach. iv, 2).* Si timentibus orietur, ergo contemptoribus et pseudoprophetis occidet. Oves³ quæ stant a dextris, ad regna cælorum introducuntur, hirci in tartarum detruduntur. Parabola ista non ovium inter se merita, et e contrario describit hircorum; sed inter oves et hircos tantum distantiam facit. Neque enim in omnibus locis docentur omnia, sed unaquæque similitudo ad id refertur cujus similitudo est. Sicut et decem virgines (*Al. virginum*) non totius generis humani, sed sollicitorum et pigrorum exempla sunt: quorum alteri semper Domini præstantur adventum alteri somno et inertiam se dantes, futurum judicium non putant. Unde et in fine parabolæ dicitur: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam (Matth. xxv, 13).* Si in diluvio⁴ liberatus est Noe, et omnis orbis interiit: omnes caro erant, et propterea perierunt. Aut non ejusdem meriti dices filios Noe, et Noe propter quem filii liberati sunt; aut maledictum Cham in eodem pones loco in quo et patrem, quia de diluvio simul liberatus est. In passione Christi omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; et non fuit qui faceret bonum, non fuit usque ad unum. Audebisne igitur dicere sic negasse Petrum et cæteros apostolos qui fugerunt, quomodo Caipham et Phariseos, et clamantem populum, *Crucifige crucifige talem (Joan. xix, 6)?* Et ut de apostolis taceam, ejusdemne tibi sceleris videbitur reus Anna, et Caiphaz, et Judas proditor cujus et Pilatus⁵, qui nolens compulsus est contra Dominum ferre sententiam? 366 Quanto majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis est: et quanto majoris criminis, tanto majoris et pænæ. *Potentes, enim potenter tormenta patientur (Sap. vi, 7).* Arbor mala fructus bonos non facit, nec bona malos. Si hoc ita est, responde mihi, quomodo Paulus cum esset arbor mala, persequens Ecclesiam Christi, fecit (*Al. fecerit*) postea fructus bonos? Et Judas, cum esset arbor bona, signa faciens cum apostolis, postea versus in proditorem, fecerit fructus malos? Tandiu ergo nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quandiu vel in bonitate sua, vel in malitia perseverat. Porro quod omnis Hebræus æqualiter facit Pascha, et septimo anno liber efficitur, et in Jubilæo, id est, quinquagesimo, universa possessio redit ad dominos, hoc

¹ Mss., *naufragium est*, qui deinde vocem *Apostolus* rectius non agnoscunt.

² Duo mss., *de quo Christus et cæteri apostoli*; paulo post. *iisdem cibis vescimur.*

³ Victorius *Oves quæ stant a dextris, vadunt ad*

regna cælorum, consentientibus mss. fere omnibus.

⁴ Olim *Sed in diluvio*, male: paulo post, verbum esse Victorius supplet.

⁵ Vide Lactantium lib. iv, c. 18. Deinde ms. *tanto majoris et criminis est.*

non de præsenti dicitur, sed de futuro: quia in sex diebus hujus sæculi servientes, in septimo die, vero et æterno Sabbato, liberi erimus [Al. liberemur]: si tamen voluerimus esse liberi, dum adhuc servimus in sæculo. Si autem noluerimus, perforabitur nobis auricula, in testimonium inobedientiæ; et cum uxore et liberis nostris, quos prætulimus libertati, id est cum carne et operibus ejus jugiter serviemus.

26. *Parabola sementis quid? Falsus Jovinianus. Mos Scripturæ.* — Parabola autem sementis¹, quæ ex utraque parte ternos fructus facit; et juxta Apostolum, super fundamentum Christi alius ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos: alius ligna, fenum, stipulam; cum et in domo magna diversa vasa sint, perspicue patet: et huic velle contradicere apertissimæ impudentiæ est. Tamen ne exsultet in mendacio et exemplum apostolorum in præjudicium centenarii et sexagenarii et tricenarii afferat numeri, sciat in Matthæo et in Marco apostolis, qui universa sua dimiserant, centuplum repromissum. In Evangelio autem Lucæ multa plura, in est πολὺ πλείονα², et penitus in nullo Evangelio pro centum scriptum esse septem; seque aut falsarium, aut imperitiæ reum teneri: nec nocere nobis, quia in alio Evangelio a centum, in alio a triginta incipit numerari: cum omnis Scriptura, maxime vetus, minorem præponat numerum et sic ad majorem gradatim conscendat. Verbi gratia, 367 ut dicat aliquem fuisse annorum quinque et septuaginta et centum, nec tamen quinque et septuaginta plura poterunt esse quam centum, quæ (Al. quia) priora sunt nominata. Si non accipis in bonam partem diversitatem numeri centum et sexaginta et triginta, nec in malam partem accipies: et idem vitium erit seminis, quod secus viam cecidit, et super petras, et super spinas. Sin et illa tria, et hæc vel in bonam, vel in malam partem singula sunt, stultum fait pro duabus rebus sex species numerare, præsertim cum in Matthæo et in Marco et in Luca narrata parabola, Salvator semper intulerit: *Qui habet aures audiendi, audiat* (Matth. xi, 15, et xiii, 9; Marc. iv, 9; Luc. xiv, 35). Ubi nihil est quod intrinsecus lateat, frustra ad intelligentiam mysticam provocamur.

27. *Multiplex Christi habitatio in credentibus.* — Si autem Pater et Filius mansionem faciunt apud credentes, et ubi Christus hospes est, ibi nihil deesse existimas, puto quod aliter Christus habitaverit in Corinthiis, aliter in Ephesiis; hoc est aliter in his apud quos Paulus apostolus peccata multa deprehendit³, et aliter in his quibus sacramenta

a sæculis ignorata dissevit: aliter in Tito et Timotheo, aliter in Paulo. Certe inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Ubi autem major dicitur, necesse est ut cæteros habuerit minores. Et, *Qui minimus⁴ est in regno cælorum, major est illo* (Matth. xi, 11). Vides ergo, quod in cælis sit maximus et minimus, et inter angelos quoque, et inter invisibiles creaturas sit multiplex et infinita diversitas. Quare dicunt apostoli: *Domine, auge nobis fidem* (Luc. xxii, 5), si omnium una mensura est? Et Dominus ad discipulum: *Modicæ fidei, quid dubitasti* (Matth. xiv, 31)? In Jeremia quoque de futuro regno legimus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Jacob sedus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris* (Jerem. xxxi, 31, 32). Et post paululum: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam illam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum; et non docebit vir ultra proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce⁵ Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum* (Ibid. 33, 34). Perspicue ex contextu illius 368 loci, futurum Christi regnum propheta describit, et qua consequentia ibi erit minimus et maximus, si omnes æquales futuri sunt? Utique ea qua et in Evangelio dicitur: *Qui docuerit et fecerit, hic vocabitur maximus in regno cælorum. Qui autem docuerit, et non fecerit, erit minimus* (Matth. v, 19). In convivio Salvator præcepit, ut inferiorem occupemus locum: ne cum major venerit, de superiori turpiter detrudamur (Luc. xiv, 9). Si cadere non possumus, sed tantum per pœnitentiam sublevamur: quid sibi vult scala illa in Bethel, per quam angeli descendunt atque ascendunt, qui de cælis ad terram veniunt? Certe inter oves et ad dexteram stabant dum ibi essent. Angeli de cælis descendunt, et Jovinianus de eorum possessione securus est.

28. *Mansiones in cælis multæ. Ordines Ecclesiæ, Cælestium virtutum ordines.* — Quis autem risum tenere queat in eo, quod multas mansiones apud Patrem, Ecclesias arbitretur in toto orbe diffusas cum manifestissime Scriptura doceat, secundum Evangelium Joannis, non de Ecclesiarum numero sed de cælorum mansionibus, et æternis tabernaculis, quæ propheta desiderat, Domino fuisse sermonem? *In domo, inquit, Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado vobis parare locum; et si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis* (Joan. xiv, 2, 3). Locus et mansiones quas præparare se dicit Christus apostolis, in domo utique sunt Patris, id est,

¹ Sic mss. castigatores et Victorius: antea erat seminantis.

² Victorius πολλά πλείονα, ut habetur apud Lucam xviii. Alibi est πολυπλείονα.

³ Duo mss. cum veteri editione reprehendit.

⁴ Al et qui minor. Cisterciens. liber qui minimus est, inquit, in regno, etc.

⁵ Mss. plerique cognoscite: et paulo post, Qui autem docuerit, et aliqua non fecerit, etc.

in regno cœlorum, non in terra, in qua ad præsens [Al. præsens] apostolos relinquebat. Simulque sensus Scripturæ intuendus: Dicerem, inquit, vobis, quia vado et præparabo vobis locum: si non mansiones multæ essent apud Patrem, hoc est, si non unusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex propriis operibus præpararet: et ideo non est meum parare, sed vestrum, quia et Judæ nihil profuit paratus locus, quem suo vitio perdidit. Juxta quem sensum et illud intelligendum, quod ad filios dicitur Zebedæi, quorum alter a sinistris, alter cupiebat sedere a dextris: *Calicem quidem meum bibetis; sedere autem a dextris meis, sive a sinistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (Matth. xx, 23). Non est Filii dare: et quomodo Patris est 369 præparare? Paratæ, inquit, sunt in cœlo diversæ et plurimæ mansiones, plurimis diversisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, sed opera. Frustra ergo a me petitis quod in vobis situm est, quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. Porro quod ait: *Iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis* (Joan. xiv, 3), proprie ad apostolos loquitur, de quibus et in alio loco scriptum est: *Ut quomodo ego et tu Pater unum sumus, sic et illi in nobis unum sint* (Joan. xvii, 21). qui crediderunt, qui perfecti sunt, qui possunt dicere, *pars mea Dominus* (Psal. lxxii, 26). Si autem non sunt plurimæ mansiones, quomodo et in veteri Testamento et in novo, alium ordinem pontifex tenet, alium sacerdotes, alium Levitæ, alium Janitores, alium Æditui. Et in volumine Ezechielis¹, ubi futuræ Ecclesiæ et cœlestis Jerusalem ordo describitur, sacerdotes qui peccaverant, regradantur in ædituos, et in ostiarios: et cum sint in templo Dei, hoc est a dextris, non sunt inter arietes, sed inter minimas oves. In fluvio quoque qui de templo egreditur, et irrigat salsum mare, et universa vivificat, multæ species piscium describuntur. Quare in regno cœlorum Archangeli sunt, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, et Seraphim: et omne nomen quod nominatur, non solum in præsentis sæculo, sed etiam in futuro? Sine causa diversitas nominum est, ubi non est diversitas meritorum. Archangelus utique aliorum minorum est angelorum. Archangelus, et Potestates, et Dominationes habent alia², per quæ exercent potestatem, et in quæ subjecta dominantur. Hoc in cœlis est, hoc in ministerio (Al. mysterio) Deo, ne nos solito more irrideas,

¹ Al. in limine. Locus est cap. xliv, v. 10: *Sed et Levitæ, qui longe recesserunt a me errore filiorum Israel, et erraverunt a me post idola sua, et portaverunt iniquitatem suam, erunt in sanctuario meo aditui et janitores portarum domus, et ministri domus ipsi mactabunt, etc., etc.*

² Duo mss. habent aliqua, super quæ exercent potestatem. Tum « Hoc in sæculis est, hoc in ministerio Dei. » Utrumque fortasse verius.

³ Idem mss., valde frivolum est, etc., cum veteri

atque subsannes, si imperatores (Al. imperatorem) posuerimus, præfectos et comites, et tribunos et centuriones, et manipulos, et reliquum militiæ ordinem.

29. *Mos Scripturæ sacræ. [Elisæi duplex spiritus.]* Illud autem quod ait: *Nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti* (1 Cor. vi, 19), frivolum est³, cum Scriptura 370 divina soleat et unum pluraliter, et plura singulariter appellare: et tamen sciat in templo quoque ipso multas esse mansiunculas: esse exterius atrium, esse interius, esse vestibula, esse Sanctum, esse Sancta sanctorum. Sunt et culinæ in templo, sunt et cellariola, sunt et torcularia, et vasorum receptacula. Ita et in templo corporis nostri diversa sunt merita. Non æque Deus omnes inhabitat⁴: nec ad eandem mensuram omnibus infunditur. De spiritu Moysi aufertur, et septuaginta presbyteris datur. Puto, aliam esse abundantiam fluminis, aliam rivulorum. Elisæi spiritus Elisæo duplex datur: unde et duplex gratia fecit signa majora. Ille vivus mortuum, iste mortuus mortuum suscitavit. Ille famem imprecatu est populo, iste obsessæ civitati sub una die hostiles copias præbuit. Licet hoc quod ait, *Nescitis quia corpora vestra templum est Spiritus sancti* (1 Cor. vi, 19), de cuncta credentium dicat Ecclesia, qui pariter congregati, unum Christi corpus efficiunt. Hic jam quæritur in corpore, qui pedibus Christi dignus sit, qui capite; qui oculus ejus sit, qui manus. Quod et duæ mulieres in Evangelio, pœnitens et sancta, significant: quarum altera pedes, altera caput tenet. Tametsi nonnulli existimant unam esse, et quæ primum cœpit a pedibus, eam gradatim ad verticem pervenisse. Sed et illud quod objicit [Al. objecit]. *Non pro his rogo tantum, sed et pro illis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut sicut ego, Pater, in te⁵, et tu in me unum sumus ita omnes unum sint in nobis* (Joan. xvii, 20, 21): et quod omnis populus Christianus unum sit in Deo, quasi filii charissimi, *divinæ consortes naturæ* (II Petr. i, 4). Jam supra diximus, et nunc plenius inculcandum est, non nos secundum naturam, sed secundum gratiam unum esse in Patre et Filio⁶. Neque enim ejusdem substantiæ est (quod Manichæi solent dicere) anima humana et Deus. Sed, *dilexisti inquit, eos, sicut et me dilexisti* (Joan. xvii, 23). Vides ergo quod in consortium substantiæ ejus assumimur, non naturæ esse, sed gratiæ: et ideo nos diligit⁷, quia 371 Filium dilexit Pater: et membra diliguntur, scilicet in corpore. *Quoquot enim receperunt Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex*

editione.

⁴ In aliis mss. *In omnibus habitat.*

⁵ Ita efferri locum hunc in mss. supra docuimus num. 19, nota; atque ita quidem habuisse veterem Latinam editionem pronum est credere.

⁶ Cisterciensis, *Sed secundum gratiam esse in Patre et Filio, absque, unum.*

⁷ Idem ms., *Et ideo nos diligit; quia, etc., in aliis deinde libris est scilicet a corpore.*

sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (Joan. i, 12, 13) Verbum caro factum est, ut nos de carne transiremus in Verbum. Nec Verbum desiit esse quod fuerat: nec homo perdidit esse, quod natus est. Gloria aucta est, non mutata natura. Vis scire quomodo cum Christo unum corpus efficiamur? Doceat te ipse, qui condidit: *Qui comedit carnem meam, et bibit sanguinem meum, hic in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui comedit me, vivit propter me. Iste est panis qui de caelo descendit* (Joan. vi, 57 seqq.). Sed et Joannes evangelista, qui de pectore Christi hauserat sapientiam, in eadem verba concordat, dicens: *In hoc intelligimus quod in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Si quis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei Deus in eo manet, et ipse in Deo est* (I Joan. iv, 13, 15). Si credis in Christum, quomodo et apostoli crediderunt, unum cum eis in Christo corpus efficieris. Si autem temerarium est fidem eorum tibi et opera vindicare, qui fidem eandem et opera non habes, eundem locum habere non poteris.

30. *Ordo Ecclesiae. Peccata gravia et levia.* — Porro quod jactitas sponsam, sororem, matrem, et omnia haec vocabula unius esse Ecclesiae, cunctosque credentes his nominibus significari, contra te facit. Si enim unus ordo Ecclesiae est, et non habet plurima membra in uno corpore: quid necesse est ut sponsa, soror vocetur et mater: nisi aliorum sponsa, aliorum soror, aliorum mater sit? *Stant quidem omnes ad dextram: sed alius stat ut sponsus, alius ut frater, alius ut filius. Filioli inquit, mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (Galat. iv, 19). Putasne ejusdem esse meriti eos qui parturiuntur, et qui parturit? Unde et stulte asserere voluisti omnia membra aequaliter nos diligere, nec oculum praepone digito, nec manum auriculae; sed in singulorum amissione membrorum, dolorem esse communem, cum Apostolus doceat ad Corinthios, *Alia membra esse honestiora, alia verecundiora; et quae verecundiora sunt, majore honestate circumdari*¹: quae vero per se honesta, nostri [Al. nostra] non indigere sollicitudine (I Cor xii 22-24). Ejusdemne ordinis arbitraris et meriti, os et alvum, oculos et meatus per quos fluvius egeritur et urina? *Lucerna inquit, corporis tui est oculus tuus. Si oculus caecus fuerit, totum corpus in tenebris est* (Luc. xi, 34). Si digitum amputes, si summitatem auriculae, est quidem dolor, sed non tantum damnum, nec tanta cum dolore deformitas, quanta si oculos eruas, trunces nares, os disseces. Sine aliis membris vivere possumus, sine aliis omnino non possumus. Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem

millia talenta debere, aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo, et adulterio rei tenebimur; sed non est idem suffundi, et torqueri; erubescere, et longo tempore cruciari. Putas nostrum esse quod loquimur? Audi apostolum Joannem: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabit ei vitam, peccanti non ad mortem. Qui vero peccaverit ad mortem, quis orabit pro eo* (I Joun. v, 16)? Cernis quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam. Si pro majoribus, difficilis impetratio sit: et inter peccata et peccata magnam esse distantiam. Unde et de populo Israel, qui peccaverat peccatum ad mortem, dicitur ad Jeremiam: *Noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis deprecationem, et non obstas mihi, quia non exaudiam te* (Jerem. vii, 16).

B Si autem omnes aequaliter et introimus saeculum, et eximus de saeculo, et hoc praedictum futurorum [Al. futurum] est: ergo aequaliter et justus, et peccatores habebimur apud Deum, quia nunc pari modo et generamur, et morimur. Quod si duos esse contendis Adam, alterum terrenum, alterum caelestem; et qui in terreno fuerint, eos esse ad sinistram²: qui vero in caelesti, eos esse a dextris; responde mihi interim, ut de duobus te fratribus interrogem: Esau in terreno fuit, an in caelesti? Nulli dubium est, quin in terreno eum fuisse respondeas. Jacob in quo fuit? Dices protinus, in caelesti. Et quomodo in caelesti fuit, cum adhuc Christus non venisset in carne, qui secundus et caelestis Adam dicitur? Aut igitur omnes ante incarnationem Christi in veteri reputabis Adam, et justus quoque in terreno homine, et ad sinistram erunt inter hircos tuos: aut si impium est ibi Isaac ponere, ubi Ismael: ibi Jacob, ubi Esau; ibi sanctos, ubi peccatores; novissimus Adam ex eo tempore numerabitur, quo Christus est natus ex Virgine, et argumentum duorum Adam non proficiet ovibus et haediis tuis, quia in primo Adam et oves et haedos convicimus fuisse, et in uno atque eodem homine, alios a dextris Dei stetisse, alios a sinistris: *Ab Adam enim usque ad Moysen, mors super omnes dominata est, etiam super eos qui non peccaverunt: in similitudinem praevagationis Adam* (Rom. v, 14).

D 31. *In martyre voluntas coronatur.* — De eo autem quod niteris approbare, convicium et homicidium, rana et adulterium, et otiosum sermonem, et impietatem uno supplicio repensari, jam et supra tibi responsum est, et nunc breviter respondebo. Aut peccatorem te negabis, ut non sis reus gehennae: aut si peccator fueris, etiam de levi crimine duceris ad tartarum. *Os, inquit, quod mentitur, occidit animam* (Sap. i, 11). Suspicio te aliquando, ut hominem, fuisse mentitum: omnis enim homo mendax (Psal. cxv), ut sit solus Deus verax, et

¹ Veronensis cum Cisterciensi, majorem honestatem circumdare.

² Olim esse ad sinistram, Cisterciens. a sinistra, quemadmodum et infra habet.

justificetur in sermonibus suis, et vincat cum judicaverit (*Psal. lv*). Aut igitur homo non eris, ne mendax sis: aut si quia homo es, mendax fueris, cum parricidis et adulteris punieris. Nulla est enim inter peccata diversitas; et non tibi habebunt tantas gratias quos de humili in sublime elevas, quantum irascentur, quos propter leve quotidianumque peccatum, in exteriores tenebras retrusisti. Si autem in persecutione, qui suffocatur, et qui decollatur, et qui fugerit, et qui in carcerem retrusus obierit, in variis luctu generibus una corona victoriæ est, et hoc pro nobis facit. In martyre enim voluntas, ex qua ipsa mors nascitur, coronatur. Meum est opponere me gentilium furori, et Dominum non negare. Jam [*Al. Nam*] in illorum arbitrio est, aut decollare, aut urere, aut recludere in carcerem, aut varia adhibere genera pœnarum. Quod si fugero, et in solitudine obiero,¹ nec eadem erit corona morientis, quia non eadem causa mortis est Christus. **374** Ad illud vero quod dicis inter eum fratrem qui semper cum patre fuerit, et qui postea pœnitens est receptus, nihil penitus discrepare; adjicio, si vis, et drachmam unam quæ perdita fuerat et inventa, junctam esse cum reliquis; et ovem unam quam nonaginta novem ovibus derelictis bonus pastor inquisivit et retulit, explesse numerum centenarium. Sed aliud est pœnitentem esse, et lacrymis veniam deprecari, aliud semper esse cum patre. Unde per Ezechielem ad reportatam [*Al. reportandam*] ovem, et perditum quondam filium, loquitur pastor et pater: *Et suscitabo pactum meum tecum: et scies quia ego Dominus, et recordaberis, et confunderis; ut non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus fuero tibi in omnibus quæ fecisti* (*Ezech. xvi, 62, 63*). Ut nihil minus justo habeant pœnitentes, sufficit eis pro omni pœna sola confusio. Unde et in alio loco dicitur ad eos: *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, et omnium scelerum quibus polluti eratis, et displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris quas fecistis; et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis, propter nomen meum, et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima* (*Ezech. xxvi, 31, 32*). Arguitur quoque a patre filius, quod saluti fratris invidet, et cum angeli lætentur in cœlo, ille livore crucietur. Quanquam duorum fratrum similitudo, frugi et luxuriosi, non ad me-

¹ Contrario sensu, verius tamen ut mihi videtur, habent duo mss. et vetus editio. *In solitudine obiero, eadem erit corona morientis, quia eadem causa mortis est Christus; pœnarum nempe, quæ ad declinandam persecutionem ob Christum, in solitudine subeundæ sunt. Superior quoque contextus suffragatur.*

² Ita S. quoque Augustinus lib. *de sancta Virginitate*, cap. 26, reponens huic Joviniani objectioni: « Quid, inquit, denarius ille aliud significat, nisi quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum? Quia

rita totius generis humani, sed vel ad Judæi pertinent [*Al. pertineant*] Christianique personas, vel ad sanctorum et pœnitentium. Super qua parabola libellum quemdam Damaso episcopo, dum adhuc viveret, dedicavi.

32. Tempus diversarum vocationum. Nostri laboris est præmium nobis præparare. — Porro si operariis primæ horæ et tertiæ et sextæ et nonæ et undecimæ, unus denarius redditur, et ab eis incipit præmium, qui novissimi in vinea laboraverunt [*Al. laborabant*]: et hic non unius temporis, et unius ætatis homines describuntur; sed ab exordio mundi usque ad finem vocationum sacramenta sunt diversarum. Prima hora vocatus est Abel et Seth: tertia Enoch et Noe: sexta Abraham, Isaac et Jacob: nona Moyses et prophetæ: undecima Gentium populus: cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei magnitudinem **375** meruit præmiorum: multique reges et prophetæ quæsierunt videre quæ videmus, et non viderunt. Unus autem denarius² non unum est præmium, sed una vita, et una de gehenna liberatio. Cæterum quomodo ad indulgentiam principalem, diversorum criminum rei dimittuntur de carcere, et unusquisque, pro labore vel operibus suis, in hoc vel in illo statu vitæ est: ita et denarius quasi indulgentia veri Principis, omnes per baptismum emittit de carcere. Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum, diversa nobis præparare.

33. Medius Jonathas inter David et Saul. — Hucusque per partes ad proposita respondimus: sequens sermo in commune ad omnia respondebit. Dominus ad discipulos suos: *Qui vult, inquit, inter vos major esse, sit omnium minimus* (*Matth. xx, 26*). Si omnes in cœlo æquales futuri sumus, frustra nos hic humiliamus, ut ibi possimus esse majores. De duobus debitoribus quingentorum denariorum, et quinquaginta, cui plus dimittitur, plus amat. Unde et Salvator: *Dico, inquit, tibi, remittuntur ei peccata³ multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit* (*Luc. vii, 47*). Qui minus diligit, et minus ei dimittitur, utique in minori gradu erit. Paterfamilias proficiscens tradidit servis suis substantiam, alii quinque talenta, alii duo, alii unum (*Matth. xxv, 15 seqq.*), unicuique secundum proprias vires. Simile quid et in alio Evangelio

ergo ipsa vita æterna pariter erit omnibus electis æqualis, denarius omnibus attributus est; quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumine meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem; ac per hoc in denario quidem non impari non vivet alius prolixius, in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius. » Vide eum librum, in quo multa contra Jovinianum congeruntur.

³ Duo mss. *Dico, inquit, vobis, remittentur ei peccata, etc.*

scribitur, quod homo nobilis proficiscens in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, et reverteretur, vocaverit decem servos, et dederit eis singulas mnas, de quibus unus lucratus est (Al. sit) decem mnas, alius quinque : et singuli juxta vires suas, et emolumentum, vel decem vel quinque acceperint civitates. Porro alius, qui unum talentum, sive unam mnam acceperat, quod accepit, infodit, sive in sudario colligavit, et domini reservavit adventui. Primo considerandum, quod si justinon spe profectus laborant, ut vult noster Zeno¹ : 276 sed ne perdant quod acceperant, iste qui mnam et talentum infodit, ne perderet quod acceperat, non peccavit ; magisque laudanda est cautio reservantis, quam cassus labor eorum, qui sine laboris præmio desudarunt. Deinde quod hoc ipsum talentum quod auferitur a timido, vel negligente servo, non datur ei qui minus lucri fecerat ; sed qui plus, id est, qui super decem positus fuerat civitates. Si numerus non facit ordinem, quare dixit, *Dedit unicuique secundum vires² suas* (Ibid.). Si eadem lucra sunt quinque talentorum et decem : cur ei qui minus lucri fecerat, non decem, et ei qui plus, non quinque traduntur urbes ? Quod autem Dominus non his contentus sit quæ habemus, sed semper majora desideret, ipse monstrat dicens : *Quare non dedisti pecuniam meam ad trapezitos, et ego veniens cum usura exegissem* (Ibid. 2) ? Quod quidem et Paulus apostolus sciens, præteritorum obliviscitur, et ad ea quæ in ante sunt, se extendit (Philipp. III, 13), id est, quotidie proficit, nec servat in sudario delicate gratiam quam accepit ; sed avarus negotiator renovatur de die in diem, et de-
C
crescere se putat, nisi semper creverit. Sex urbes fugitivorum describuntur in Lege (Num. xxxv, 6), qui³ homines interfecere nolentes : et ipsæ urbes sacerdotales sunt. Rogare libet fugitivos istos inter hircos tuos, an inter oves nostras colles ? Si hirci essent, occiderentur ut homicidæ cæteri, nec ministrorum Dei intrarent civitates. Si oves dixeris, utique non erunt tales oves, quæ absque luporum metu tota libertate pascantur. Et probabitur tibi, oves quidem eas esse, sed erroneas : a dextris esse, verum non stare, sed fugere, donec moriatur Sacerdos magnus, et ad inferna descendens, liberet animas fugitivorum. Gabaonitæ cœcurrunt filiis Israel, et cæsis aliis gentibus, in lignarios et aquarios reservantur (Josue ix, 21). Tantique apud Deum meriti sunt, ut stirps Saul ob eorum injurias sit deleta (I Reg. xxxi, 3 seqq.). Inter quos eos collocabis ? 277 Inter hircos ? Sed non sunt interfecti, et sen-

tentia Domini vindicantur (Al. judicantur) ? Inter oves ? Sed dicit Scriptura divina quod non sint ejusdem meriti cujus et Israelitæ. Vides ergo quod stent quidem a dextris ; sed multo inferiori gradu. Inter David virum sanctum, et Saul regem pessimum, medius Jonathas fuit. Quem nec inter hædos possumus ponere, quia prophetæ amore dignus est ; nec inter arietes, ne parem eum faciamus David, maxime cum et ipse interfectus sit. Erit igitur inter oves ; sed in inferiori ordine. Et quomodo inter David et Jonatham, ita inter ovem et ovem cogere suscipere differentias. *Servus quo cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, nec fecit digna, plagis vapulabit paucis. Omni enim cui multum datum est, multum quæretur ab eo, et cui commendatur multum, plus exigetur ab illo* (Luc. xii, 47. 48). Ecce servo et servo plus minusve committitur, et pro qualitate commissi atque peccati, plagarum quoque numerus irrogatur.

34. *Typus futuræ Ecclesiæ in terris, etc.* — Tota Judææ terra tribuumque descriptio futuræ Ecclesiæ in cælis typus est. Legamus Jesum Nave, legamus Ezechielis extremas partes, et videbimus, quidquid in altero quasi per historiam in terra distribuitur, in altero cælis spiritualiter repromitti (Josue xiii ; Ezech. xlviii). Quid sibi volunt in descriptione templi septem et octo gradus ? quid rursus, quod in Psalterio post elementa centissimi octavi decimi psalmi, quibus mysticum erudimur 278 alphabetum, per quindecim gradus usque illuc pervenimus, ut possimus canere : *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri* (Psal. cxxxiii, 1) ? Quare duæ et semis tribus trans Jordanem habitant, ubi plurima sunt jumenta, et novem et semis reliquæ vel expellunt pristinos habitatores de sedibus suis, vel cum ipsis habitant ? Cur Levitica tribus in terra partem non accipit (Num. xviii) ; sed Dominus pars ejus est ; et inter ipsos levitas et sacerdotes ad Sancta sanctorum ubi Cherubim et propitiatorium est, pontifex solus ingreditur ? Quare reliqui sacerdotes lineis tantum utuntur vestibus et non habent indumentum auro, hyacintho, cocco, purpura, byssoque contextum ? Inferioris gradus levitæ et sacerdotes plaustra et boves accipiunt : majoris ordinis gestant arcem Domini humeris suis. Si tollis ordinem⁴ tabernaculi, templi, Ecclesiæ, si omnes qui a dextris

¹ Jovinianus alter Zeno. Mss. *ne perdant quod habent.*

² Nonnulla exemplaria, teste Victorio, habent *virtutes* pro *vires* : et apud Matthæum quidem est δὲ-
vι:ν ; sed et superius, *unicuique*, ait, *secundum proprias vires.*

³ Victorius qui hominem, ut est penes LXX.

Olim porro *interficere* pro *interfecere* ; tum *Interrogare libet*, etc.

⁴ *Si tollis ordinem.* Nec plura legimus in mss. codicibus nec pauciora : neque satis mirari possum Erasmodum et Marianum, qui confictum retinent contextum, annotationesque falsas prorsus ac fuitiles, Legunt itaque hoc modo : « Si omnes, qui

sunt, unum ut vulgo dicitur, *encoma*¹ ad militiam, A probat, nequidquam episcopi, frustra presbyteri, sine causa diaconi sunt. Quid perseverant virgines? (*Al. cur*) quid laborant viduæ? cur maritalitatem continent? Peccemus omnes, et post penitentiam idem erimus quod apostoli sunt.

35. *Epilogus disputationis. Excepto Deo omnis creatura sub vitio est.* — Verum jam cepimus terram prospectare de pelago, et post montes gurgitum, et [*Al. spumeos*] spumosos fluctus, et navim, vel in sublime subrectam, vel in ima præcipitem, paulatim fessis et languentibus portus aperitur. 379 Diximus de nuptis, viduis, virginibus. Viduitati virginitatem, viduitatem prætulimus matrimonio. Exposita est περικοπή Apostoli, de hujuscemodi quæstionibus disputantis, singulis oppositionibus responsum est. Sæcularis quoque litteratura venit in medium,

a dextris sunt, corpus unum, et ut vulgo dicitur, ἐν κόβιον, nequidquam episcopi, frustra presbyteri, sine causa diaconi sunt. » Post impressionem hujusmodi contextus, Marianus in notis suis vitiatum eum fatetur, et ita restituendum putat: *Si omnes, qui a dextris sunt, ut vulgo dicitur, ἐν χῶμα: nequidquam episcopi, etc.* Gravius σύνθημα ponendum pro ἐν χῶμα, conjicit. Sed nullus horum virorum doctorum fidem consecutus est exemplarium ms. aut mentem Hieronymi. Jovinianus enim irridebat Catholicos, quod in militia Christiana gradus atque officia diversa statuere vellent, et omnes bonos ipse volebat unum esse ἐνσωμα, id est, corpus indistinctum partibus, et quasi multi in unum corpus coalescentes. Unde Hieronymus supra post angelicos ordines descriptos hæc addit: « Hoc in cælis est, hoc in ministerio Dei, ne nos solito more irrideas atque subsannes; si imperatorem posuerimus, et præfectos et comites, et tribunos et centuriones, et manipulos, et reliquum militiæ ordinem. » Ait igitur hic sanctus Hieronymus, si omnes justi a dextris positi unum sunt ἐνσωμα, nihilque refert utrum in pecore aliquis aries sit, an ovicula; et in exercitu aliquis sit imperator vel miles gregarius, nequaquam in Ecclesia sunt episcopi, frustra sunt presbyteri, et sine causa diaconi. Id vero asserere cum esset absurdissimum, Jovinianus tanta rerum consequentia confutatus luebat pœnas audaciæ ac impietatis. Qui Græce sciunt, videant ne nomen ἐνσωμα in duo verba secent, lenentes ἐν σῶμα: nam unum Latine abs Hieron. ante positum, cogit nos unum ἐνσωμα legere, unum nempe corporatum, sive unum corpus e pluribus compactum. MARTIAN.

¹ Mirum quantum interpretes torserit locus iste, et torqueat hodiernum. Legit Erasmus unum ut D vulgo dicitur ἐν κόβιον, nequidquam episcopi, etc., omissis nempe verbis ad militiam probat, et illud ἐν κόβιον pro frequenti apud Græcos proverbio accipiens, quod est μὲν κόβις, unus pulvisculus. Victorius vitiatum ab Erasmo locum exscripsit, tantumque post impressionem, quomodo Græcum verbum restitui posset, in Notis admonuit. Ita, inquit, legi debet: *Si omnes qui a dextris sunt, ut vulgo dicitur ἐν χῶμα, nequidquam episcopi, etc.*, hoc est si omnes beati unus cumulus erunt, et inter beatos nulla erit differentia, frustra igitur sacrorum ordinum datur distinctio. Postea Gravius, cui jure Victoriana emandatio non arrisit, substitui voluit, unum, ut dicunt, σύνθημα ad militiam probat, etc. Ex Græca autem voce, tametsi nullis mss. probata, sensum juxta Victorii expositionem, utcumque extundebat.

quæ virgines fuerint, quæ univiræ, et e contrario quas interdum habeat molestias vinculum conjugale, Transivimus ad secundam partitionem, in qua negat eos, qui tota fide baptismata consecuti sunt, deinde posse peccare. Et docuimus, quod excepto Deo, omnis creatura sub vitio sit, non quod universi peccaverint, sed quod peccare possint, et similitum ruina stantium metus sit. Tertio venimus ad jejunia, et qui adversarii duplex propositio fuerat, vel ad philosophos², vel ad divinarum Scripturarum provocantis exempla, nos quoque ad utramque respondimus. Quarta, id est extrema divisio, oves et hædos, dexteram et sinistram, justos et peccatores, in duos ordines distribuerat, volens ostendere nullam inter justum et justum, peccatorem et peccatorem esse distantiam. Et ut hoc probaret, infinita de Scripturis exempla congesse- rat, quasi suo sensui congruentia, cui nos quæstioni,

At Martianæus interpretum istorum conatus castigat satis inclementer, ipseque militiam Christianam indicari autumans, rescribit, unum, ut vulgo dicitur, ἐνσωμα, ad militiam probat, nequaquam episcopi, etc. Vultque ex Joviniani sensu dici omnes in militia christiana unum esse ἐνσωμα, id est corpus indistinctum partibus, unde gradus atque officia diversa esse non deberent. Equidem haud facile dicam, quot vitiis hæc ejus letio labore, et quam præ cæteris falsa sit. Unum ἐνσωμα, si quid est, repetita voce, unum unum corpus significat, neque scribi ἐνσωμα potest, aut corporatum intelligi, sed ἐν σῶμα, unum corpus. Quo vero id tandem modo explicet Martianæus, nihil est nihil, ad rem facit. Sed nec multo felicior est Clericus, qui unum ἐνσωμα legendum putat, id est unum bonum corpus, ut entm Græce parum elegantius scribat, cæteris æque ac Martianæus vitiis, nisi etiam gravioribus peccat. Est tamen hujus restitutio loci non usque adeo difficilis, si mss. exemplaribus religiose adhæreas. In his autem est E N C O M A, quam vocem Græce accipias ἔγκομα scribendum est, si Latine, ut est, *encoma*, aut *incoma*. Quid vero nomen istud sonet, docet Isidori Glassarium, *Incoma mensura militum*. Vegetius quoque lib. 1, cap. 5: *Proceritatem tironum ad incoma scio semper exactam*. Erat nempe contus illa, sive palus, ad quem probari statura militum solebat, si proceritatem haberent requisitam: unde *encoma*, aut *encuma* vulgares militibus voces, et verbum *incumare*, et *incumatus* in Actis S. Maximiliani sub hac metiendi significatione occurrit: *Quoniam probabilis est, rego ut incometur*. Sensus itaque Hieronymi est, non sicut milites una corporis mensura ad militiam probat, ita eorum qui in cælis a dextris sunt, æqualem esse gloriæ mensuram. Et quemadmodum frustra sint episcopi, presbyteri et diaconi, si tollas ordinem Ecclesiæ, sive hierarchicum, ita incassum perseverare virgines, laborare vidas, et se continere maritalitas, si omnium in cælis æquale erit meritum, atque unus gradus. Ipse se in hunc sensum Hieron. explicat lib. II *contra Rufinum*, ubi Origenem impugnat asserentem « in restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, Cherubin, et Seraphin, Thronos, Principatus, Dominationes, Virtutes, Potestates, Archangelos, Angelos, Diabolum, Dæmones, animas omnium hominum, tam Christianorum, quam Judæorum, et gentilium unius fore conditionis et mensuræ. »

² Cisterciensis dum Veronensi ms. *Vel ad philosophorum, etc. nos quoque ad utrumque respondimus*

et argumentis, et exemplis respondimus Scripturarum, veteremque Zenonis sententiam, tam communi sensu, quam divina lectione contrivimus.

36. *Multos discipulos habuit Jovinianus. Doctrina voluptatis quid proficit.* — Nunc restat ut Epicurum nostrum [Al. sudantem] subantem in hortulis suis inter adolescentulos et mulierculas alloquamur. Favent tibi crassi, nitidi, dealbati, Adde, si vis juxta Socraticam irrisionem, omnes sues et canes, et quia carnem amas, vultures quoque, [Al. aquilas] aquilæ, accipitres, et bubones. Nunquam nos (Vid in cap. ix Eccles. Comm.) Aristippi multitudo terreat. Quoscumque formosos, quoscumque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imo inter tuos sues grunniunt. De nostro grege tristes, pallidi, sordidati, et quasi peregrini hujus sæculi, licet sermone taceant, habitu **SSO** loquuntur et gestu: *Hei mihi quia peregrinatio mea prolongata est! habitavi cum habitationibus Cedar* (Psal. cix, 5), videlicet in tenebris hujus mundi, quia lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt. Ne glorieris, quod multos discipulos habeas. Filius Dei docuit in Judæa, et duodecim tantum illum apostoli sequebantur. *Torcular*, inquit, *calcavi solus, et de gentibus vir non est mecum* (Isa. lxiii, 3). Ille in passione solus remansit, et Petri quoque erga eum trepidavit constantia: Phariseorum autem doctrinæ omnis populus applaudebat, dicens: *Crucifige, crucifige talem. Non habemus regem nisi Cæsarem* (Joan. xix, 6, 45), id est, vitia sequimur, non virtutes; Epicurum, non Christum; Jovinianum, non apostolum Paulum. Quod multi acquiescunt sententiæ tuæ, indicium voluptatis est: non enim tam te loquentem probant, quam suis favent vitiis. In circulis platarum quotidie fictus ariolus stultorum nates: verberat, et obtorto fuste dentes mondentium quatit, nec tamen deest qui semper possit induci? et pro magna sapientia [Al. deputa] deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ suoidiæ nutrias? Post præconium tuum, et balneas², quæ viros pariter et feminas lavant, omnis impatientia quæ ardentem prius libidinem, quasi vere-

¹ Victorius cum habitantibus cum Vulgatu, contra mss.

² Item Victorius nares, quam lectionem ut probet multa comminiscitur. Vide quæ annotamus in Epist. 127, ad Principiam, num. 9 et locum ex Luciano de morte Peregrini. Infra lib. i contra Rufinum eadem occurrunt.

³ Promiscui balnei, quod Jovinianus probabat, turpitudinem exsecrantur Patres plerique omnes, Clemens Alexandinus Pædagog. iii 5; Epiphanius hæres. xxx, 7; Crysostomus de educandis liberis, aliique. Canones quoque, Laodiceus 3, et Trullanus 77, imo etiam imperatorum decreta et leges condemnabant.

⁴ Vetus edit. ne peccatum quidem pœnitentiam habeat.

⁵ Sentit, primum e Latinis hæreticum Jovinianum existisse, quod quidem et Victorio notatum

est, at nescio quam vere, si Montanum reputer, Novatum, utque alios, utique ex Latinis.

Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam. (Æneid. l. iv).

37. *Basilides magister luxuriæ. Semper pseudoprophete dulcia promittunt. Verba Joviniani.* — Quadringenti ferme anni sunt, quod Christi prædicatio fulget in mundo. Ex quo innumerabiles hæreses tunicam illius consciderunt, universus pene error **SSI** de Chaldæo et Syro⁵ et Græco sermone processerat. Basilides magister luxuriæ et turpissimorum complexuum, post tot annos ita in Jovinianum, quasi in Euphorbum⁶ transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet hæresim suam. Nullane fuit alia in toto orbe provincia, quæ reciperet proconium voluptatis, in quam coluber tortuosus irreperet, nisi quam Petri doctrina super petram fundaverat Christum⁷? Vexillum crucis et prædicationis austeritas idolorum templa destruxerat: e regione luxuria penis, ventris et gutturis subvertere nititur fortitudinem crucis. Unde per Isiam loquitur Deus: *Populus meus, qui vos beatificant, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum conturbant* (Isa. ix, 16). Necnon per Jeremiam: *Fugite de medio Babylonis, et servate unusquisque animam suam* (Jerem. li, 9), *et nolite credere pseudoprophete, qui dicunt, pax, pax, et non est pax* (Jerem. vi, 14): qui semper ingeminant, *Templum Domini, templum Domini* (Jerem. vii, 4). Prophetæ tui viderunt tibi falsa et insipientia, non aperuerunt iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: qui devorant plebem [Al. Deum] Dei, ut cibum panis, Deum non invocaverunt. Jeremias captivitatem nuntians, lapidatus a populo. Ananias filius Azur frangebatur ad præsens ligneas tor-

est, at nescio quam vere, si Montanum reputer, Novatum, utque alios, utique ex Latinis.

⁶ In sequenti libro contra Vigilantium num. i: *Quomodo Euphorbus in Pythora renatus esse perhibetur, sic in isto (Vigilantio) Joviniani mens prava surrexit.* Nempe somniavit Pythagoras Euphorbi apud Trojam occisi animam in se demigrasse; seque aiebat primum fuisse Ethalidem, mox Euphorbum, deinde Hermodimum, et Pyrrhum, Delium piscatorem, postremo ex Pyrrho factum esse Pythagoram.

⁷ Duo mss., *Super petram fundaverat Christi.* Vetus edit. nisi in tua Petri doctrina super se petram fundaverat Christus; et mox prædicationis auctoritas. Romamam proprie, ut vides, Ecclesiam notat, in qua primum hæresim Jovinianus sævit. Vid. præfixam hisce libris Admonitionem.

quies¹, et in futurum ferreas præparabat. Semper pseudopropheta dulcia pollicentur, et ad modicum placent. Amara est veritas, et qui eam prædicant, replentur amaritudine. In azymis enim veritatis et sinceritatis Domini Pascha celebratur, et cum amaritudinibus comeditur (*Exod. vii, 8*). Egregia sane vox et quam audiat sponsa Christi, inter virgines² et viduas, et cælibes (unde et ipsum nomen inditum est, quod cælo digni sint, qui coitu careant), « Raro jejunate, crebrius nubite. Non enim potestis implere opera nuptiarum, nisi mulsum, et carnes, et nucleum sumpseritis. Viribus opus est ad libidinem. Cito caro consumpta marcescit. **332** Nolite timere fornicationem. Qui semel in Christo baptizatus est, cadere non potest: habet enim, ad despumandas libidines, solatia nuptiarum. Quod et si cecideritis, redintegrabit vos pœnitentia, et qui in baptisate fuistis hypocritæ, eritis in pœnitentia solidæ fidei. Neque turbemini, putantes inter justum et pœnitentem aliquid interesse, et humiliorem gradum dare quidem veniam, sed coronam tollere. Una est enim retributio. Qui ad dexteram steterit, introibit in regna cælorum. » His consiliis subulci tui pastoribus nostris ditiores sunt, et hirci plurimas secum capras trahunt: *Equi insanientes in feminas facti sunt* (*Jerem. v, 8*), statim, ut mulieres viderint, adhinniunt, et impatientiam suam, pro nefas! Scripturarum solantur exemplis. Sed et ipsæ mulierculæ miseræ et non miserabiles³ præceptoris sui verba cantantes (quid enim nisi semen requirit Deus? non solum pudicitiam, sed etiam verecundiam perdidērunt, majorique procacitate defendunt libidinem quam exercent. Habes præterea in exercitu plures

¹ Ex Jeremiæ cap. xxviii: *Catenas ligneas contrivisti, facies pro eis catenas ferreas*. Dictum, notante Victorio contra illos, qui homines palpant, et felicia pollicentur. Mss. duo habent *ligneos torques, et ferreos*.

² *Virgines et viduas et cælibes*. Quintilianus lib. i, c. 10: « Ingenioseque sibi visus est Caius es cælibes dicere, veluti cœlites, quod onere gravissimo vacent. » MARTIAN. Duo mss. absque *et* particula, *viduas cælibes*. Annexam etymologiam Gravius ex Quintiliano l. ii, c. 10, illustrat: « Ingeniose sibi visus est Caius cælibes dicere, veluti cœlites, » etc. Sed et Isidorus, Originum l. x, lit. C: « Cælebs dicitur, quasi cælo beatus.

Ex Oxidii versu in Ibin:

Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli.

³ Cisterciens. liber *crassos compositos, nitidos*.

⁴ Mendose erat, partim Græce et partim Latine RWMH. Græce autem ῥώμη, *robur*, Hebraice רֹמָה, seu רֹמָה *sublimitatem* significat.

⁵ Pythagoram non illum celebrem Italicæ sectæ auctorem, sed Spartiatam alium innui contendit

A succenturiatos, habes scurras et velites in præsidis, crassos, comptos⁴, nitidos, clamatores, qui te pugnis calcibusque defendant. Tibi cedunt de via nobiles, tibi osculantur divites caput. Nisi enim tu venisses; ebrii atque ructantes paradysum intrare non poterant. Macte virtute, imo vitiis, habes in castris tuis et Amazones (*Vide Commentar. in cap. xvi Jerem*, exerta mamma, et nudo brachio et genu, venientes contra se viros ad pugnam libidinum provocantes. Et quia populentus paterfamilias es, in aviariis tuis non turtures, sed upupæ (*Et Com. in cap. v. Zachar.*) nutriuntur, quæ tota fœtidæ voluptatis lustra circumvolent. Me earpe, me disjice, objices crimina quæ volueris, argue luxuriæ et deliciarum. Magis me amabis, si talis fuero, ero enim de armento tuo.

B 33. *Romam alloquitur*. — Sed ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione **333** delesti. Urbs potens, ubi orbis domina, urbs Apostoli voce laudata (*Rom. i*), interpretare vocabulum tuum. Roma⁵ aut *fortitudinis* nomen est apud Græcos, aut *sublimitatis* juxta Hebræos. Serva quod diceris, virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Salvator in Apocalypsi (*cap. xvii et xviii*) comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninivitarum. **334** Cave Joviniani nomen, quod de (*Jove*) idolo derivatum est. Squallet Capitolium, templa Jovis et cæremoniæ conciderunt. Cur vocabulum ejus, et vitia apud te vigeant? Adhuc sub regibus, et sub Numa Pompilio facilius majores tui⁶ Pythagoræ continentiam, quam sub consulibus Epicuri⁷ luxuriam susceperunt.

Victorius quocum sentit et Martianæus. Et certe Numa Pythagoram illum Samium antiquiorem facit vulgo recepta sententia ex Dionis Chrysostomi testimonio xlix et Nicephori Gregoræ xxxiii, quanquam veteres alii propter dogmatum inter utrumque convenientiam suppres fuisse velint. At non ipsam Pythagoræ personam hic abs Hieronymo indicari ego sentio, ut de ejus ætate disputare necesse sit, aut alium cognominem comminisci; sed utique doctrinam, quæ scriptis supererat, fuitque Numæ acceptissima. Re ipsa de libris Pythagoricis in Numæ sepulcro repertis loquuntur Livius xl. 29, Plinius xiii. 13, Lactantius l. xxii, Augustinus de Civit. Dei viii, 5, Aurelius Victor de Viris illustrib. c. 3, atque alii.

D ⁷ *Luxuriam susceperunt*. In ms. codice sancti Petri Carnutensis sequitur damnationis sententia in Jovinianum.

HONORIUS ET THEODOSIUS AUGG.
FELICI PRÆFECTO PRÆTORII.

Jovinianum, etc. quæ Lex est 53 in cod. Theodos. tit. 5 de Hæreticis. MARTIAN.

335 IN SEQ. LIBRUM CONTRA VIGILANTIUM ADMONITIO.

4. Contra Vigilantium epistolam, biennicante hunc libellum, datam Ripario presbytero excudimus in secunda parte prioris tomii sub num. cix, in qua cum hæretici hominis Commentarios nondum accepisset